UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...

**Ortega, Cristóbal de**

**Lugduni, M.DC.LXXX.**

Dispvtatio VI. De reliquis ad prædestinationem, ac reprobationem aliquo modo attinentibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94285

Visual Library

# DISPVTATIO VI.

## *De reliquis ad prædeſtinationem, ac reprobationem aliquo modo attinentibus.*

TRIA nec admodum difficilia ſub hoc titulo examinanda veniunt. Primum: quonam confirmatio in gratia à prædeſtinatione, & induratio in malo à reprobatione differant? ſecundum, quid liber vitæ, vel mortis vltra prędeſtinationem, vel reprobationem addat? Tertium de certo cum prædeſtinatorum, tum reproborum numero.

## QVÆSTIO I.

### *Quonam confirmatio in gratia, & induratio, ſeu obduratio in peccato, ſiue ad malum à prædeſtinatione, ac reprobatione differant.*

ALiquo illas à prædeſtinatione, & reprobatione differre potius ſupponitur à Theologis quam diſputatur: cum non omnes prædeſtinati confirmati in gratia ſint, ſed ex ſpeciali priuilegio eorum pauci: nec obduratio cordis in mali ſiue ad peccatum ſit omnium reproborum ſed obſtinatorum, & valde contumacium in peccato: quare quonam hæ à prædeſtinatione, & reprobatione differant reſtat examinandum.

---

## CERTAMEN I.

### *De confirmatione in gratia notata, & Doctorum ſententiæ proponuntur.*

1 GRatia, in qua, ſeu de cuius confirmatione agimus auxilians non eſt, ſed formaliter iuſtificans, gratumque Deo reddens prædeſtinatum cui confirmatio in gratia ſpeciali Dei priuilegio contigit. Cum autem prædeſtinatio omnis, ſine qua confirmatio eſſe non poteſt, donum perſeuerantiæ contineat, & hoc confirmatio in gratia neceſſario, vel claudit vel ſupponit: nec eam ſolum, perſeuerantiam, quæ ſatis prædeſtinationi foret. Etenim perſeuerantiam prædeſtinationi neceſſariam inſtans immediate poſt iuſtificationem obitus ſæpe fecit, ac facit vt beatiſſimi fæliciſſimique latronis, ac recens baptizatorum obeuntium infantium exempla demonſtrant. Requirit ergo confirmatio in gratia perſeuerantiæ in ea pro viæ ſtatu diuturnitatem de ſeſe virtualem per multa, duraque tempora, certamina, occaſiones, ac tentationes vehementes pluresque peccandi, atque à iuſtitia, & ſanctitate recedendi, ita Doctores omnes antiqui, ac recentiores ſcholaſtici fere omnes. Probatur primo, quia alias ſacrum confirmatorum in gratia collegium plus nimio ad prædeſtinatos omnes ampliabitur: ſecundo, quia confirmatio in gratia, ſiue obfirmatio alicuius contra peccatum abſolute dicta, non eſt ad tempus aliquod, & occaſionem & tentationem vnam vel alteram qualemcunque peccandi, ſed ad omnes, & per tẽpus quodcumq; peccatorum quorumlibet inuaſionibus & tentationibus quibuſuis, etiam acerrimis eſſe poſſit: quemadmodum, neque arx, ciuitaſue aliqua firma obfirmataque abſolute contra hoſtes, eorum impetus & militares inuaſiones dicitur, quæ munimentis armis, militibus, ita ſolum inſtructa ſit, vt ad tempus breuiculum, vnique ſolum vel alteri hoſtium inuaſioni ſit reſtitura, ſed quæ omnibus hoſtium inuaſionibus, quantumuis duris, ac vehementibus hoſtium inuaſionibus & ad tempus quodlibet reſiſtere apta ſit, ac parata. Tertio probatur ab oppoſito confirmationis, & obdurationis reprobi in malo: quæ ſane illius non eſt, qui ad tempus ſolum perbreue, vnique vel alteri etiam vehementi, Dei inſpirationi, vt non peccet, peccatoue abſiſtat, reſiſtit, ſed eius ſolum, qui Dei frequentibus, vehementibus perque tempora, & occaſiones plures inſpirationibus reſiſtere aptus, & duritie cordis ſui quaſi natus eſt ſurdæque aſpidis (vt Spiritus ſanctus aiebat) inſtar aures cordis obturat. Ita Theologi omnes de cordis induratione, & obduratione perditorum in malo cenſuere Molina. 1. p. q. cita. a. 4. Herize. d. 33. c. 1. et Sóto Driedone. Roffenſe, cano, & aliis Arriaga. d. 33. ſect. 4.

2. Sed & Vaſquium noſtrum reprehendens, quod 93. c. 10. aſſeruerit etiam cum primo quis peccat vehementibus Dei inſpirationibus obſiſtẽs obduratione in malum proprietate ſermonis peccare: quod nuſquam verum eſſe niſi pluribus vehementibus, inſpirationibus per diuturnum tempus obſiſtat falſum reputat Arriaga, priuſque reputauerat Herize: quare neque confirmationem in gratia illi aduerſam abſque diuturna per occaſiones plures & vehementes acrium tentationum victorias, ſermonis proprietate eſſe abſolute non poſſe. Contra vero noſter Chriſtophorus de Vega Paletra. 16. Theologiæ Marianæ. cert. 10. n. 1186. §. *Roboratur amplius* eam temporis diuturnitatem & per occaſiones plures, & vehementes tentationum victoriam ad proprietatem confirmationis in gratia impertinentem ac libere confictam cenſet: ſiquidem diuturnitatis eius taxandæ nullum rationis fundamentum, ſed ſolum pro cuiuſque arbitrio eſſe poſſit quã in re Vazquio noſtro videtur conſentire. Horum autem Doctorum pugnam facile dirimes, ſi notati hac in re noſtri verba attenderis, quibus diximus diuturnitatem reſiſtentiæ peccatis, occaſionibuſque, & tentationibus vehementibus pluribus ad confirmationem in gratia requiri de ſeſe, & virtualem ſeu habitualem eſſe: id eſt, vt ex eo dono tentationibus quantumuis magnis frequentibus & ad longum quodque tempus reſtiturus confirmatus in gratia ſit, ſi adfuerint; quocirca conditionate victorias tentationum, inquam longo tempore concernit, ſi donentur, abſque vlla tentationum, aut temporis menſura; quod autem longius breuiuſque tempus maiorque, vel minor tentationum vehementium, & occaſionum frequentia confirmatis in gratia abſolute detur, per accidens prorſus confirmatis in gratia eſt.

3. Neque enim confirmati in gratia æque in hoc viæ ſtatu vixere, nec totidem, totque vehementibus occaſionibus, & tentationibus fuerunt in hac vita ad peccandum tentati, & expetiti: cum tamen omnes æque abſolute in gratia confirmati fuerint. Etſi autem ex vehementi aliqua Dei inſpiratione, & illuſtratione perfectiſſima poſſit quis pluribus, & vehementibus tentationibus reſiſtere, reſiſtantque ſæpe plures ex prædeſtinatis, id tamen non ex habituali principio, & permanenti non eſt, ſed ſolum ex actuali; & tranſeunte, ac proinde neque ex confirmatione in gratia, quæ habituale, & permanens Dei donum, & ad plures, & omnes tentationes vincendas, ad quas nulla, præter clarã Dei viſionẽ cogitatio bona, & inſpiratio ſe poteſt extẽdere. Similiter ex aduerſo, & ſi quis vehementiſſima tactus tentatione, & inſtigatione in malum, pluribus Dei, & ardentibus inſpirationibus & vocationibus improbus reſiſtat, ac peccet, eſſetque ardentioribus aliis, ſi adeſſent reſtiturus; tamen, quia id non ex habituali aliquo, & permanenti principio, ſed tranſeunti, nec pluribus aliis, quibus obduratio cordis in malo, ſiue ad malum, reſiſtit, non ex induratione, & obduratione proprie dicta reſiſtit, ac peccat; ſi tamen ex principio permanente, & habituali, ac plu

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ac pluribus, & pluribus vehementioribus Dei inſpirationibus reſtituro tunc: vel ſemel improbus reſiſtat, ac peccet, ex propriè dicta obduratione cordis, & abſoluta in duratione cordis in malo reſiſtet, & peccabit, vt bene Vaſquez aiebat, quin Herize, & Arriaga impugnationes quidquam contra ipſum præſtent, vt eas legenti patebit: quare earum ſolutionibus applicandis, & explicandis abſtineo.

4. His prænotatis. Prima Catholicorum Doctorum ſententia eſt Catherini 1. de prædeſt. Dei c. vlt. & lib. 3. cap. 1. & 2. illa ſua electione ad gloriam efficace, & antecedente merita, & mediorum etiam efficacium electionem, quam reſpectu eximie prædeſtinatorum pauculorum admittit, eorundem confirmationem in gratia ſtare cenſuit: quia ea ita electis impotentia phyſica, & abſoluta antecedens ad non peccandum mortaliter ita electis, inducitur: quare & ad iuſtitiam, & ſanctitatem gratiamque ſanctificantem amittendam ipſis aufertur libertas: Catherinum ſectatus eſt Ledeſma, de auxil. q. vn. princip. art. 5. ad confirmat. argum 6. vterque tamen libertatem ad merendum, vel non merendum, venialiterque peccandum, vel non peccandum ita in gratia confirmatis relinquit. Noſter Valentia t. 1. in 1. p. q. 23. d. 1. p. 1. punct. 4. §. 7 verſic vlt. & d. 8. de grat. q. 3. punct. 4 §. 2. poſt 4. concluſionem verſu. *Tertio alia* in ea antecedente electione efficace ad merita prædeſtinati in gratia confirmati eius in gratia confirmationem conſtituit: ea vero impotentiam antecedentem peccandi mortaliter, & confirmato induci, atque amittendi gratiam libertatem abſolutè auferri negat. Hoc enim in ſententia Catherini adeo eſt durum, ne dicam erroneum vt cunctis eius tempeſtatis Doctoribus Catholicis valde mouerit ſtomachum, Ioann. à Bononia, de prædeſt. p. 2. opin. 3. priuatis cum Catherino colloquiis coram, & vulgato ſcripto illud confutauit: Dominicus item Soto in c. 9. ad Roman. digreſſ. de prædeſtinatione Corduba 1. quæſtionarij, q. 36. Bartholom. Camerar Dialogo Cathol. cap. 10. temerarium, ſcripturæ aduerſum ac erroris nota dignum cenſent, ac Vega inſuper in Tridentin. c. 1. idcirco Sixtus Senenſis, qui id aliquandiu tenuerat, & docuerat, tandem retractauit, 6. Bibliothecæ annotat. 248. Horum iudicio Theologi, & ſcholæ omnes Catholicæ concordant, Scotica, & Thomiſtica vtraque Dominicana etiam recentior, & Ieſuitica tam Vaſquiana quam Soariſtica, indeque Vaſquiana efficacem antecedentem electionem prædeſtinati cuiuſvis (confirmati etiam) ad gloriam Soariſticam impugnat, quod abſolutam poteſtatem, & libertatem mortaliter peccandi finaliter ita antecedenter, & efficaciter electis non relinquat contra Thomiſticam vero antecedentem etiam abſoluto conſenſui noſtro voluntatem efficacem prædeterminatiuam, & efficacem etiam ſuo modo antecedentem electi merita ad gloriam electionem: vtriſque autem totus labor, & ſtudium eſt mille ſubtilitatibus conſequentiæ illius ab antecedentibus meritum, liberumque arbitrij noſtri vſum efficacibus Dei electionibus, & voluntatibus ad impotentiam & neceſſitatem abſolutam libertati noſtræ aduerſam ſiue in operando, ſiue in peccando, mortaliter etiam conſequentiæ legitimitatem negare, conariq; oſtendere illegitimitatem, vt hac contr. & c. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. vidimus.

5. Et quidem in eo ſe Thomiſtæ Recentiores à Caluiniſtis diſcrepare contendunt quod illi ſuis antecedentibus efficacibus decretis, electionibus, & prædeſtinationibus libertatem creatam euerti fateantur, atque abſolutam ad oppoſitum impotentiam nobis induci; ipſi vero, id electionibus, efficacibus antecedentibus decretiſq; prædeterminatiuis fieri conſtanter, & mordicus negent: ſed ad rem præſentem ſpecialius adhuc confirmationis impotentiam grauiter etiam peccandi non induci, neque ad grauia peccata admittenda libertatem confirmatis euerti ſæpe ſcriptura teſtatur. Primo enim de ſaluandis Sanctiſq; cunctis: quare, & de confirmatis in gratia dicitur Eccleſ. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus facere mala* (quibus vtique damnaretur, ac æternum periret) *& non fecit.* Apoc. 3. *Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam*, prædeſtinatis omnibus, ac proinde confirmatis in gratia dictum, poteſtatem antecedentem abſolutam ipſorum ad graue peccatum finale, quo à gloria deuient, & coronam æternam amittant continet expreſſe, ſed omnium vrgentiſſimum illud eſt Pauli in gratia confirmati, quod 1. Corint. 9. de ſeipſo dixit. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne forte, cum aliis prædicauero ipſe reprobus efficiar*, illa enim voce *forte* abſoluta euentus contingentia, & poſſibilitas (fatentibus Patribus, Catholicis interpretibus, & Scholaſticis omnibus) denotatur in ſcriptura, ac ſubinde abſoluta & antecedens Pauli à ſalute decidendi & grauiter peccandi poteſtas vti ad eum locum docent Euſeb. Emiſſen. hom. 1. de init. quadrageſ. Origen t. 2. commentario in cap 8. ad Rom. fine, & Patres reliqui, qui in eiuſdem interpretationem inciderunt: cum ergo confirmatio in gratia ſolum conſequentem impotentiam peccandi mortaliter, & amittendi gratiam, atq; neceſſitatem perſeuerandi in illa confirmatis in gratia poſſit afferre, eaque prædeſtinatis omnibus prædeſtinatione ſola afferatur explicandum reſtat quidnam aliud, quod impotentia abſoluta, & antecedens grauiter peccandi, & amittendi gratiam non ſit, ſpeciale illud confirmationis in gratia priuilegium ita confirmatis apponat.

6. Nonnulli apud Chryſtophorum de Vega vbi proxime §. *perperam* docent eſſe illud fomitis extinctionem: eos tamen ipſe refellit: quia ea in Adamo innocente fuit, quin fuerit in gratia confirmatus, quam amiſit: verum nec prædeſtinatus fuit, prædeſtinatione ſtatus innocentiæ propria, alioqui nec gratiam, & innocentiam amiſiſſet: extinctio autem fomitis ſola confirmatio in gratia per hoſce authores non eſt, ſed cum prædeſtinatione coniuncta, cum qua complet in gratia confirmationem: ſed melius confutantur: quia (Deipara excepta) nemo confirmatus in gratia peccati fomitem habuit extinctum: patet in Paulo in gratia cum primis confirmato verbis nuper recitatis & illis inſuper. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: lex autem membrorum legi mentis & rationi repugnans, nil aliud quam vitioſa habitualis concupiſcentia, ac peccati viuus, & viuidus fomes eſt: illis denique eiuſdem Pauli verbis. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ qui me colaphizet*. Secundo alij apud Vegam eundem ibidem ad remotionem externarum Dæmonis ſuggeſtionum pro confirmatione in gratia ſaltem complenda, recurrunt: quos æque leuiter ipſe confutat in Dæmonibus qui confirmati in gratia non fuerunt, etſi ab eis Dæmonũ ſuggeſtio fuerit remotè, ac nuſquam ex illa peccarint: cæterum exceptis Lucifero, & ex eodem ordine ſupremo Angelis lapſis, reliqui inferiorum ordinum Dæmones illorum prauis ſuggeſtionibus actos peccaſſe dubium mihi non eſt, vt controu. de Angelis, d. de ſtatu viæ ipſorum oſtendam, ſed eſto fuerint ſuggeſtiones Dæmonum aliorum ab aliis remotæ: cum prædeſtinati non fuerint earum ſuggeſtionum remotio confirmatio eorum in gratia non fuit, quæ ſine prædeſtinatione eſſe non poteſt: quam amotio ſuggeſtionum in abſolutam confirmationem in gratia compleret ſi adfuiſſet. Melius impugnantur: quia Angeli boni ordinis primi confirmati in gratia pro ſtatu viæ non ſunt etſi fuerint prædeſtinati, ac nullam à malis Angelis ſuggeſtionem paſſi, neque pati ab eis naturæ ordine ſeruato potuerint, vt citato loco videbimus. Secundo, cum Dæmones prauis ſuggeſtionibus Tyrannos ad Apoſtolos cruciandos à Deo accenderint, & exacuerint, vt eos à fide, & Euangelica prædicatione dejicerent, atque exterrerent, eoſdem Apoſtolos prauas ſuas ſuggeſtiones, vt fide, & prædicatione abſiſterent non immiſiſſe incredibile eſt, cum tamen confirmatos in gratia Apoſtolos fuiſſe certum prorſus ſit. Tertio demum: etſi omnis Dei externa protectio, & tam externarum, quam internarum tentationum ac ſuggeſtionum amotio ad prædeſtinationem, & propriam eius perſeuerantiæ donum ſpectet, ad ſpeciale tamen confirmationis, & obfirmationis in gratia donum non ſpectat: nec (me iudice) ſpectare poteſt, vt ex noſtræ ſententiæ probatione ſatis vero ſimile apparebit.

## CERTAMEN II.

### *Noſtrorum Vaſquianorum, & Soariſtarum ac Dominicanorum aliquot ſententias expendo.*

1. NOſter Molina prima parte, quæſtione 14. articulo 13. d. 18. docuiſſe videtur confirmationem in gratia prædeſtinationi, quam neceſſario ſupponit, addere reuelationem de ſua perſeuerantia factam prædeſtinato, id quod expreſſius, explicatiuſque docuit Vaſquez prima parte, d. 90. capite ſecundo, numero ſeptimo, & 1. 2. tom. ſecundo, d. 200. capite quinto, numero 33. quem noti Diſcipuli ſectantur, & alij, in quibus Chriſtophorus de Vega citato certamine 10. & numero 1185. §. *Cenſeo illum ſolum*: ſub cuius finem refert etiam noſtrum Balthaſarem Aluarez Luſitanum Primarium Eborenſis Academiæ Profeſſorem: cuius patriam, & reliqua noto, ne illum eſſe putes nominis & cognominis eiuſdem noſtrum etiam, Caſtellanum tamen, venerabilem ſanctitate virum, atque Sanctæ Thereſiæ confeſſarium, & præcipuum eius in ſpiritu Magiſtrum, ipſa teſtante, promotorem de cuius ſanctimonia, & perfectione ſpirituali eiuſdem ſanctæ teſtimonium ex Dei reuelatione extat: illum Sanctorum omnium militantis tunc Eccleſiæ perfectiſſimum fuiſſe: eandem ſententiam reputat Soarez tom. 3. de gratia libro 10. capite octauo. Probat Vaſquez, quia confirmatio in gratia nec ſtat, nec ſtare poteſt in aliquo aſſerente abſolutam neceſſitatem perſeuerandi in illa antecedentem, ac ſimpliciter talem, neque item in conſequente neceſſitate perſeuerandi præcisè: eam ſiquidem prædeſtinatio cuivis prædeſtinato facit: addet ergo eius neceſſitatis perſeuerandi in gratia reuelationem, quæ ſubiectiuam addat, vt non obiectiuam perſeuerandi certitudinem, & ſecuritatem, ac non peccandi firmitatem. Huc euadit Chriſtophori Vega ratio, ſeu potius explicatio ſupra numerum 1187. §. *Arbitror ergo*: quia obiectiua non peccandi neceſſitas nequit non eſſe vel antecedens, in qua vt vidimus confirmatio in gratia non ſtat, vel conſequens, quæ prædeſtinatione continetur, nec poteſt eſſe obiectiuè maior, vt eo exceſſu maioris conſequentis neceſſitatis ſtare vel compleri confirmationem in gratia dicamus: ſolum ergo eſſe poteſt maior ſubiectiua, firmitas neceſſitas, ac ſecuritas non peccandi ex Dei reuelatione de perſeuerantia futura facta prædeſtinato, ex qua deinceps obfirmatiore animo vitæ huius pericula, aggredietur, & negliget, quaſi per contemptum quantumvis acres tentationes, quam alij prædeſtinati, quibus de ſua perſeuerantia in gratia ex diuina releuatione non innotuerit: quare non ita obfirmato, confirmatóque animo in gratia, & perſeuerantia eſſe merito dicuntur: id quod appoſito exemplo præmiſſo explicuerat numero 1185. §. *Cenſeo illum*: ſi enim quis viam plerumque latronibus obſeſſam, ac ſemper proinde obnoxiam cum ſociis aliquot ingreſſurus, ex Dei reuelatione nullum occurſurm latronem ſolus ſciret dubio procul obfirmato animo viam carperet, ac ſecurus cum ſociis aliis timidis tamen, perſequeretur proſequereturque: ita, &c.

2. Opponit Soarius proxime & 3. de prædeſtinatione fine. Nec Ioannem Baptiſtam Paulum, & Apoſtolos confirmatos explorato in gratia, non habuiſſe prædeſtinationis, & ſuæ in gratia perſeuerantiæ reuelationem, nec eius pro illis aſſerendæ in ſcriptura fundamentum extare: ſed aſſumptum, falſum eſt, vt rectè Vega citato numero 1187. §. *Inſurget aliquis*, de morte enim, & martyrio ſuo, quo eius prædeſtinatio completa eſt habitam à Ioanne Baptiſta multo antea reuelationem Patres teſtantur, Andreas Cretenſis oratione de amputat. capitis Baptiſtæ, ſcribens: *Hic vero manifeſtam, & ante oculos poſitam mortem habebat ex tempore*, vt minimum, Baptiſmi Chriſti in Iordane, vt Nazianz. orat. 39. ad illa Ioann. verba. *Ego à te debeo baptizari*, ſic expreſſit. *Adde, & pro te (exploratum enim habebat fore, vt martyrio baptizaretur) & tu venis ad me: hoc quoque propheticum: futurum enim nerat, vt quemadmodum poſt Herodem Pilatus fureret, ita quoque eum prius vita functum, Chriſtus ſequeretur.* Atque illud Baptiſtæ dictum de ſe, & Chriſto Domino dictum Ioann. 3. *Illum oportet creſcere, me autem minui*, de capitis etiam ſui per martyrium imminutione dictum propheticè à Baptiſta ſanctus Auguſtinus cenſet: ſuæ vero prædeſtinationis, ac perſeuerantiæ in gratia reuelationem factam Apoſtolis fuiſſe conſtat primo: quia Sanctis pluribus aliis facta à ſancto Thoma eiuſque interpretibus aſſeritur, 1. 2. quæſtione 112. articulo quinto, plurimiſque fide dignis hiſtoriis: quare id Apoſtolis, quoad ſupernaturalia dona priuilegiatis præ cæteris Sanctis negari abſque nimia audacia nequit: id de Paulo ſpeciatim docet Vaſquez proximè, §. *Adde Paulum*, ex illo: *vas electionis eſt mihi iſte, vt portet, &c.* & Sanctus Thomas ex illo: *ſufficit tibi gratia mea.* Melius impugnatur: quia fæliciſſimus latro certus ex Dei reuelatione illa; hodie mecum eris in Paradiſo de ſua prædeſtinatione, & perſeuerantia fuit, aliique ſancti inſtante obitu ſimilem reuelationem ex fide dignis hiſtoriis habuerunt, & tamen nec Dimas, neque hi confirmati in gratia ab vllo habiti ſunt. Nec valet reuelationes eiuſmodi prædeſtinationis quidem eorum, non autem perſeuerantiæ diuturnæ eorum in gratia, ad confirmationem requiſitæ, vt vidimus fuiſſe: ſed quid dicet citatus Vega qui perſeuerantiæ diuturnitatem confirmationi in gratia impertinentem prorſus ſupra iudicabat: ſecundo reuelationem prædeſtinationis, multo ante obitum tempore, ac ſubinde diuturnæ in gratia perſenerantiæ inſignes aliquot Sanctos habuiſſe fide dignæ etiam hiſtoriæ teſtantur, quos non proinde in gratia confirmatos cenſemus, Secundo: quia Angelos bonos prædeſtinationis, ac perſeuerantiæ ſuæ reuelationem habuiſſe, docet Vega ex ſancto Auguſtino 11. de Geneſ. ad litteram capite 26. & 12. de ciuitate capite 11. quos tamen nemo confirmatos in gratia concedit: immo non fuiſſe vt indubitatum ſupponit Ruiz de Montoya de prædeſtinatione d. 50. ſectione 4. numero 6. Addit numero 7. nec donum perſeuerantiæ fuiſſe eis conceſſum, vti nec homini ſi in ſtatu innocentiæ prædeſtinaretur daretur: quia meritis ſolum Chriſti, ſtatu innocentiæ per peccatum ſoluto aduenturi tantum donum ſeruatum eſt: ac tandem Angelis bonis ſolum poſſe datum à Deo fuiſſe, non autem ipſum velle multis Sancti Auguſtini teſtimoniis contendit: de his autem difficillimis additamentis per otium nos controu. de Angelis diſputabimus.

3. Diſplicet tertio ſententia præfata: quia confirmatio in gratia ſiue obfirmatio contra peccatum mortale, non ſtat in ſecuritate illa, quam facit iudicium certum de eo quod gratiæ impugnatores, vel non aderunt, vel ſi adſint non vincent, ſed potius vincentur: illud enim iudicium ortaque ex eo ſecuritas acriter, fortiterque, ac omni arte pugnantes contra peccatum, & ingruentes tentationes non facit, ſed inertes potius, ſegnes victoriæ ſecuritate, ac deſides potius, & negligentes: id quod exemplo illo quo eam ſententiam confirmabat Vega ſatis claret: qui enim certus non occurſuros graſſatores viam capeſſeret, ſecurior quidem ſociis de eo ignaris iter ageret, non autem ad pugnam paratior, animóque ad confligendum pro vita, & pecunia tuenda cum graſſatoribus, ſi occurrant, ardentiore obfirmatioreque, vt patet; quod autem etſi antecedens neceſſitas non peccandi, ſeu peccandi abſoluta impotentia confirmatione in gratia non afferatur afferri tamen ab ea aliquid poſſit, ac debeat, quo obfirmatior ex parte actus primi contra peccatum fortiorque, & confirmatior in gratia prædeſtinatus

ORTEGA In I. part. D VIa.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſtinatus reddatur certamine tertio oſtendemus : quare noſtri Vaſquez, & Chriſtophori de Vega fundamenta euaneſcunt : ſed Balthaſar. Aluarez pro eadem ſententia arguebat à paritate diplomatis confirmationis beneficij, quo & ius percipiendi fructus beneficij affertur beneficiato, & iuris illius perpetuitas, niſi vocetenus paritatem ad confirmationem prædeſtinati in gratia per reuelationem prædeſtinationis & perſeuerantiæ in gratia non habet, etenim confirmatio beneficij ius ipſum perpetuum percipiendi fructus, & impotentiam amouendi à iure illo beneficiatum, quæ ante illam non habebat affert beneficiato, reuelatio autem prædeſtinationis, & perſeuerantiæ in gratia prædeſtinatione ipſa incluſæ, & inductæ prædeſtinati eas prædeſtinato, nec affert, nec auget : ſicuti nec beneficiato iam confirmato reuelatio, & ex ea ortum in eo iudicium, quaſi reflexum de ſua confirmatione, & iure per illam ſibi quæſito perpetuo firmius ipſi beneficium illud, & ius perpetuum percipiendi fructus minime faceret.

4. Soarez t. 3. de gratia libro 10. capite 8. cum in aliorum ſententiis non quieſcat tandem numero 27. confirmationem in gratia à dono perſeuerantiæ in illa nullatenus differre cenſuit; id quod probat ex capite 2. ad Theſſalon, & Pſalm. 36. ac 62. atque aliis ſcripturæ locis, quibus confirmare tantumdem valet, ac perſeuerantiam tribuere. Secundo : quia ſanctus Auguſtinus confirmationem in gratia, cum perſeuerantiæ dono vbique confudit; cum tamen dona gratiæ diligentiſſime diuidat : immo capite 11. & 12. diuidens adiutorium quod datur homini poſſe perſeuerare ſi velit, & aliud, quo datur vt velit, & perſeueret : atque hoc promiſſum eſſe Apoſtolis Ioan. 15. vbi fructuum ſuorum permanentia promittitur, darique cunctis, quibus, vt in bono perſeuerantiſſime ſtent à Deo donatur, vltra quod nihil confirmatio in gratia continet, & quidquid Sanctus Thomas quæſtione 24. de veritate articulo 9. de confirmatione in gratia docet dono perſeuerantiæ conuenit : & quidquid Salmeron noſter præambulis notationibus ad epiſtolam Pauli, parte ſecunda, d. 14. & 15. de confirmatione in gratia, & perſeuerantiæ dono ſumma eruditione congeſſit indifferenter, ac mutuo vtrique dono conueniunt : quoniam vero id contra ſtatam apud ſacros interpretes ſententiam de aduentu Spiritus Sancti in Apoſtolos eos induendo virtute, & in gratia confirmando, & contra omnes Theologos vtrumque donum diſtinguentes (vt conſtat ex Sancto Thoma, prima parte, quæſtione 100. articulo ſecundo ad 1. aiente conſeruationem in gratia non fieri neceſſario per confirmationem in illa, & quæſtione 25. de veritate articulo 8. dicente confirmationem viatoribus fieri per eorum à bono immobilitatem moralem ſeu valde difficilem mobilitatem, ad malum) eſſe Soarez vidit, concludit numero 29. §. *Sed licet*, accidentariè confirmationis in gratia donum à dono perſeuerantiæ diſtingui, vt gratia intenſior à remiſſiore : vt ſcilicet donum perſeuerantiæ conſtans maiori auxiliorum copia, & pro occaſionibus cunctis, qua maiore excellentia, & facilitate (vtique ſubiectiua) contra maiores tentationes, & ſpirituales pugnas, in bono quis ſtet, & reſiſtat malo, donum confirmationis in gratia ſit; perſeuerantiæ vero, ſi minori copia auxiliorum, &c. conſtet, iuxta ab ipſo dicta prima parte, libro tertio, de prædeſtinatione capite 10. §. *Dicere ergo poſſumus*, & quidem ſententia hæc verum habere poſſet, ſi ipſe auxiliorum nomine habitus potenter inclinantes ad actus quibus perſtādum in iuſtitia eſt contra omnia, quæ illam, atque in illa perſeuerantiam quoquo modo impugnent, verum hos habitus auxiliorum nomine non intelligit : immò vero illos ad confirmationem in gratia minime pertinere arbitratur : quare verum non habet : quia confirmatio in gratia habituale quid, & permanens donum eſt, auxiliorum vero copia actuale quid, & tranſiens, nec ſimul pro occaſione omni, ſed diuiſim, & ſucceſſiue pro vnaquaque occaſione donatum.

5. Ledeſma de auxil. quæſt. vnica princ. art. 5. ad confirmationem argumenti 6. confirmationis in gratia additamentum ſupra perſeuerantiæ donum in maiore perfectione gratiæ habitualis, quæ gratiæ conſummatæ Beatorum patriæ ſit ſimillima : in quo autem ea quam maxima ſimilitudo ſtet, nec percipitur, neque ab ipſo explicatur, niſi in impotentia abſoluta peccandi, mortaliter, quam viatoribus confirmatis in gratia, ſicut & Beatis ibi, vt vidimus ſupra, concedit. Porrò Ferrara 3. contra gent. capite 70. fine in maiori perfectione, ſiue intenſiua, ſiue indiuiduali gratiæ habitualis confirmationem prior poſuerat, ſed quam maximam eius ſimilitudinem gratiæ conſummatæ Beatorum non admittit : addit vero ad confirmationis eius complementum Dei etiam erga confirmatum protectionem. Ferraram ſequitur omnino Medina : verum Dei protectio externa per amotionem eorum, quibus perſeuerantia in gratia, impeteretur fortius, atque impediretur ad prædeſtinationem, & communem prædeſtinatis cunctis perſeuerantiam ſpectat, vt ex breuiatione perſequutionis Antichriſti poſtremæ pro prædeſtinatis cunctis facienda conſtat : & quidem fortioris diuturniorisque pugnæ amotione ſuccumbant non pro duris, obfirmatioribuſque ad pugnam militibus, ſed pro delicatis, mollioribus, ac debilioribus militibus prouidetur : quare ad prædeſtinatos, non autem ad confirmatos in gratia, & contra peccatum obfirmatos, poterit ſpectare : ſi autem Dei protectionem internam intelligant, per auxiliorum internorum immiſſionem vberiorem iam ſunt cum Soares proxime impugnati : denique illud de maiore gratiæ habitualis, ſiue intenſiua, ſiue indiuiduali perfectione impugnatur : quia Hieremias ſanctior Iſaia temere dicetur nullo ſcripturæ fundamento : ex qua præ Iſaia confirmatum in gratia fuiſſe ſatis conſtat. Secundo nullum habitum per ſe infuſum ad actus ſuos voluntatem inclinare (nedum potenter impellere) ſed ſolum eius potentiam in actu primo ad illos complere oſtendimus tom. 1. de ente ſupernat. controuerſia de ſupernaturalibus habitibus. Tertio ſaltem ad frænandas naturales paſſiones ad actus rationi aduerſos, & peccaminoſos, quib gratia habitualis impugnetur expugnetur nihil illos habitus, vel parū poſſe ex lapſu Adæ, Angelorum, præſertim Luciferi, diúque perfectiſſimorum hominum eis habitibus, & donis ſupernaturalibus ornatiſſimorum frequentibus lapſibus ſatis conſtat : quarto nullo habitu voluntatem, phyſicè, non ſolum prædeterminari, ſed moueri adhuc diuinitus poſſe oſtendimus tom. 1. de Deo vno controu. 3. d. 1. articulo 7. quinto (vt hæc omnia ceſſarent) gratiæ habitualis formale ſolum animi ornamentum, & perfectiuum eſt, non autem actiuè immediatè perfectiuum, ex Theologorum conſenſu, etſi aliorum habituum ſupernaturalium actiuorum ſit radix : in id enim ſolum admittitur, vt animam formaliter iuſtam, ſanctam Deoque gratam conſtituat; non vt eius potentiam actiuam ad ſupernaturales actus compleat adhuc, nedum adigat, & inclinet : ergo maior eius perfectio, ſiue intenſiua, ſiue indiuidualis gratiorem ſolum Deo ſanctioremque formaliter reddet prædeſtinatum, non autem magis actus ſupernaturalis, quo & peccato mortali reſiſtatur, & gratia ſanctificans conſeruetur actiuum, Sexto demum cum gratia in qua quis confirmandus eſt maior, vel minor ſit, & materia confirmationis, ac proinde mobilis de ſe à ſubiecto, in quovis gradu, & perfectione intra ſuam ſpeciem habeatur : in nulla perfectione ipſius intra ſpeciem ſuam poteſt eius confirmatio conſiſtere.

## CERTAMEN III.

### *De confirmatione in gratia, ſententia noſtra.*

1. ASſertio vnica. Confirmatio in gratia vltra donum perſeuerantiæ, etiam diutinæ, & logicam neceſſitatem perſeuerantiæ prædeſtinatione incluſam, habitum ſupernaturalem, non omnino per ſe infuſum, ſed actibus amoris Dei ſuper omnia adquiſibilem, & intenſiorem eo qui pluribus diuturnis, ac re-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

petitis intenſiſque valde actibus poſſet adquiri, quo moralis antecedens neceſſitas perſtandi in gratia, & peccandi mortaliter impotentia confirmatis in gratia affertur, & inducitur: eſt expreſſa Sancti Thomæ concluſio. quæſtione 25. de veritate, articulo 8. qui in ea morali immobilitate ad peccandum, ſeu mobilitate valde difficili à gratia ad peccatum confirmationem in gratia conſtituit. Probatur primo ex datis aliarum omnium ſententiarum impugnationibus. Probatur ſecundo: quia confirmatio in gratia, & obfirmatio contra mortale quodvis eius deſtructiuum habitualis eſſe debet, & ex quo non logica ſolum & conſequens neceſſitas perſeuerandi, & peccandi impotentia, ſed ſaltem moralis antecedens proueniat: at nullo alio quam præfato habitu melius ea confirmatio in gratia, & obfirmatio generalis contra quodvis peccatum mortale eſſe poteſt: ergo in eo ſtat confirmatio in gratia. Minor probatur: quia obiectum formale eius habitus, & motiuum actuum ſiue proſequutionis amicitiæ Dei, ſiue fugæ peccati ad quos voluntatem prædeſtinati inducit, ac mouet generale eſt cum ad habitam gratiam, & amicitiam habitualem Dei conſeruandam, tum ad quodvis mortale ei aduerſum, in quavis materia ſit fugiendum: & quamvis actus amoris Dei ſuper omnia id habeat etiam, tamen nec per modum habitus, ſiue habitualiter ac permanenter de ſe ſe non habet: tum quia phyſicè tranſiens de ſe eſt, quantumvis intenſus ſit: quare nec per ſe ipſum diuturnæ pugnæ, & victoriæ contra mortale quodvis inſeruire aptum natum eſſe poteſt, niſi per habitum permanentem, & in quo permanenter, & habitualiter ſolummodo perſeuerat: etſi autem, & actus contritionis imperfectæ de mortalibus ob generale motiuum, & ipſis adquiribilis habitus, etiam habitualiter, & permanenter aduerſetur, ac proinde amiſſioni gratiæ per mortale quodvis, ex parte actus primi, tamen & ignobilius motiuum eſt, quam confirmatos in gratia (ſcilicet ex prædeſtinatis ſanctitate, & perfectione ſpirituali præſtantiſſimos) deceat: & obfirmatio, ſeu confirmatio in gratia, & amicitia Dei directa ex motiuo ſolum amoris Dei ſuper omnia eſſe poteſt; etſi ex motiuo etiam generali contritionis de peccatis, quo ſpirituale ſolum ſe contemnentis commodum contra mortale omne attenditur gratia ſeruetur, & ſe ita conterens indirectè in illa confirmetur.

2. Quod autem habitu præfato prædeſtinatus antecedentem moralem neceſſitatem permanendi in gratia, & impotentiam ſubinde moralem peccandi mortaliter, contra omnes quantumvis graues, diuturnas, & importunas tentationes (vt ſpeciale perſeuerantiæ donum exigit) recipiat. Probatur facile: quia habitus pluribus, præſertim intenſis actibus adquiſitus, potenter à Deo potentiam ad ſimiles actus impellit, vt antecedenter eam, etſi alias de ſe liberam, moraliter, determinet: quare, & communi æſtimatione agentis naturalis ad vnum determinati ad inſtar efficiat operari: vt vulgari Prouerbio. *Conſuetudo eſt altera natura*, circumfertur, & obuiis cuivis vitio aſſuetorum hominum comprobatur: inde illud Ioann. 5. Chriſti Domini ad Phariſæos. *Quomodo poteſtis credere* (doctrinæ fidei humilitatem ſuadente vbique, & redolente) *qui gloriam* (inanem, & mundi faſtum) *ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt non quæritis?* Et illud Ierem. 13. *Si mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere*, & alia ſexcenta, quibus moralem neceſſitatem aſſuetudine actionum, & habitu inde orto, & impotentiam abſtinendi ab eis, agendique oppoſitum hominibus induci ſcriptura teſtatur: atqui habitus Amoris Dei ſuper omnia per accidens à Deo prædeſtinatis hiſce infuſus intenſior eſt eo, quem diuturna actuum intenſorum amoris illius, & frequenti repetitione adquirere ipſi poſſent, vt diximus: ergo moralem neceſſitatem perſeuerandi in gratia, ac impotentiam peccandi mortaliter prædeſtinatis eis facient, qua non niſi per ſummam fere difficultatem peccare mortaliter abſolutè queant: vt ad obſirmarum contra mortale animum eſt opus. Ne vero inde in tentationum grauium victoria confirmatis in gratia plurimum meriti minui obiicias, etſi non prorſus eis aboleatur meritum, quia ex libertate phyſica abſolutè eis obſiſtunt: ita enim fatendum eſt ſi minimo, & quantum ſatis ſolum ad victoriam tentationis grauis ſit, reſiſtatur, vt in ea confirmatus in gratia quam non confirmatus meriti habeat minus: aſt nunquam à Deo minimo actu præſtantiſſimæ ſanctitatis, & perfectionis viri, quales confirmati in gratia ſunt, peccatis ex charitate, & præfato habitu per accidens infuſo reſiſtunt, & in gratia perſeuerant, ſed intenſioribus, & perfectioribus, ad quos non phyſicam ſolum, ſed moralem etiam habent libertatem.

3. Verum cum controuerſia de animæ facultatibus, & tom. primo de Deo vno controuerſia tertia multo authoritatis, & rationis momento oſtenderimus voluntatem nulla qualitate phyſica non ſolum determinabilem phyſicè ex parte actus primi eſſe (vt contra Thomiſtas Recentiores Dominicanos Vaſquez, prima parte, d. 90. & ſæpè alias docte obſeruat) ſed neque eſſe phyſicè mobilem, & inclinabilem: explicandum reſtat, quidnam intenſiſſimi illius habitus per accidens, ad ipſorum confirmationem in gratia conſtituendam, prædeſtinatis aliquibus infuſi nomine intelligamus: & quidem, cum citatis locis voluntatem creatam intentionaliter ſolum mobilem, & inclinabilem, hoc eſt per alicuius obiectiuam, & intentionalem, ſiue ex parte obiecti propoſitionem, eſſe docuerimus, nil aliud in noſtra, ac vera ſententia eſſe habitus ille intenſiſſimus, moraliter determinans ad perſtandum in gratia, & obſiſtendum grauibus, ac vehementibus tentationibus ad mortale inducentibus præter habituale dictamen rationis intenſiſſimum eſſe poteſt de Deo cunctis creatis ſiue poſitiuis, ſiue priuatiuis bonis præferendo ei ſimile, quod ex frequentibus, diuque repetitis Amoris Dei ſuper omnia actibus gigneretur, ac permanenter perſiſteret. Sed quidnam dictamen illud eſt? nil ſane aliud quam viuidiſſimæ ſpecies in memoria adſeruatæ quæ ex repetitione, eorum actuum, & iucunditatis in eis experimento frequenti perceptæ, atque item ex repetitione actualium dictaminum ex quibus actus illi Amoris Dei eliciti ſunt, proueniunt: quo ſolum pacto virtutis cuiuſvis dictamina in ſanctis viris habitualiter permanent, & virtutis eius habitus ineſt: ex eo vero adeo intenſo, & viuido habituali dictamine confirmatis in gratia à Deo per accidens ſimul, ſemelque infuſo adeo viuida actualia dictamina de Deo cunctis præferendo pro ſingulis occaſionibus & tentationibus ſuboriuntur, vt male ſuadæ cogitationes, quantumvis vehementes, & acres motiuis in malum viribus moraliter, abſolutè, ac ferè phyſicè etiam deſtituantur: quo ſenſu (tametſi non ſuo) Ledeſmæ locutio verum haberet: quod ſcilicet confirmatio in gratia prædeſtinatorum aliquot in via, confirmatorum in gratia Beatorum in patria ſit quamſimillima: Seruata nimirum proportione pro ſtatuum diuerſitate: ſicut enim Dei viſio indéque ortum euidens clarumque de Deo eiuſque amicitia, & gratia cunctis creatis præferendo impotentiam phyſicam etiam peccandi Beatis inducit, ita etiam dictamen hoc confirmatorum in gratia viatorum moralem inducit peccandi impotentiam, vt vidimus.

4. Inde vero explicandum facile venit ſpecialiſſimum atque Auguſtiſſimum Deiparæ priuilegium confirmationis ipſius non ſolum in gratia, & amicitia Dei abſolutè, ac præcisè, ſed in gratiæ, & amicitiæ Dei perfectione: quam ſpecialem confirmationem in amicitiæ Dei perfectione, ex qua non ſolum nunquam venialiter peccauerit, vt dogma fert: ſed nec venialiter peccare potuerit maximæ, ac pientiſſimæ omnium Matri lubens, & gratulabundus concedit: cum id à Deo facile per habitualia dictamina perfectiora & obiectiuè, & intenſiue à Deo per accidens infuſa intelligi ex dictis poſſit, & propugnari. Huic certè noſtræ ſententiæ fidem, lucemque dedit non exiguam Doctiſſimus noſter Salmeron libro primo

commenta

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

commentarior. in epiſtola Pauli parte ſecunda. d. 15. §. vlt. qui incipit. *Vt tamen magnus Thomas*, ſub fin. ſcribens. *Per gatiam in ſtatu viæ ita poteſt homo bono adſtringi, vt non, niſi valde difficulter peccare valeat: propterea, quod ex virtutibus infuſis vires inferiores reprimuntur, & voluntas in Deum fortius propendet, & ratio perficitur in contemplatione diuinæ veritatis: cuius contemplatio in feruore amoris proueniens hominem retrahit à peccato*: quibus principium proximum, & actuale retractionis à peccato diuinam contemplationem ex feruentibus amoris, actibus prouenientem eſſe dixit, ſcilicet habitualem, & permanentem, vt ad adhæſionem hominis bono habitualem de qua loquitur oportet: id quod explicari aptius, quam per dictamen habituale in ſpeciebus ex amoris feruentis actibus in memoria relictis, & adſeruatis nequit: tametſi Salmeron non ita plenè de habitibus natura ſua adquiſitis nobiſcum ſentiat, ſed ex vulgatiori tunc Schola Thomiſtica videatur locutus. Monet autem bene à confirmatione in gratia donum perſeuerantiæ non eſſe excludendum, quia moralis, neceſſitas perſtandi in gratia, ac non peccandi mortaliter, ad confirmationem eiuſmodi neceſſitati phyſicam peccandi potentiam, abſolutam non excludit, nec metaphyſicam & logicam, ſeu conſequentem impotentiam peccandi claudit: quare neque ex ſola morali illa impotentia eos peccaturos, & à gratia receſſuros non eſſe, infallibile abſolute non foret, ni ex logica & conſequente neceſſitate infallibilitas perſtandi in gratia, & non peccandi mortaliter de facto confirmatio accederet, vt patet, & nos etiam certamine primo ex communi Theologorum monebamus.

## CERTAMEN IV.

### *De obduratione, ſeu induratione impiorum in malo, ſiue ad malum noſtra ſententia ſtatuitur.*

1 Impiorum induratio in peccato dupliciter accipi poteſt. Primo actiuè, ſecundo paſſiuè: & actiuè quidem ſiue, vt ſui principium actiuum importat certum eſt à Deo non eſſe, ſi ſecundum omnia, quæ includit ſumatur (quo valde à confirmatione in gratia diſcordat, quæ tota tota à Deo, vt vidimus & agente, paſſiue, & intendente eſt) ſed ſolum permiſſiue à Deo eſt, quatenus, vel peccandi vel perſeuerandi in peccato logicam neceſſitatem includit quam ſicuti, & peccatum Deus nec agit, neque intendit: cum tamen obduratio paſſiuè ſumpta, & confirmationi in gratia omnino claudit An vero reliquum, quod induratio in peccato, continet prouenire actiuè à Deo poſſit erit inferius videndum: paſſiue vero accepta induratio in peccato, eſt quam impius patitur, & à qua induratus dicitur in peccato: cum autem induratio paſſiua impij in peccato, in aliquo peccati genere, vel in omni genere peccati eſſe poſſit, diuidi debet in indurationem in genere aliquo peccati, & ſecundum quid talem, & in abſolutam, & ſimpliciter dictam indurationem, ſeu quæ induratio in omni peccati genere ſit: quo induratio in peccato, à confirmatione in gratia valde differt: tum enim confirmatio in gratia, & contra peccatum ſine animi obfirmatione contra omne peccatum eſſe non poſſit, quia mortale quodvis, cuiuſvis generis, & in quacumque materia ſit gratiæ aduerſetur, confirmatio in gratia, & obfirmatio contra peccatum mortale, quin ſimpliciter, & abſolutè talis, & contra mortalia omnia generis, & materiæ cuiuſcunque confirmatio ſit eſſe non poteſt: obduratio vero cordis & induratio in peccato ſecundum quid ſubdiuidi adhuc poteſt in indurationem ſcilicet ex parte materiæ, ſeu generis peccati, in quo ſolum ſit aliquis, vt diximus, & in indurationem ſecundum quid ex parte temporis, ſeu durationis: quia aliquandiu durat, & tandem in ſtatu adhuc viæ: vitæque huius induratio ceſſat, & cor antea in peccato indurati, & obſtinati emolleſcit vt à peccatis in quibus, & ad quæ induratus extiterat, abſtineat, & tandem aliquando reſipiſcat. Denique induratio tam ſecundum quid alterutro modo, quam ſimpliciter, & abſolutè in ordine ad tempus totum viæ, & mortalia cuiuſvis generis omnia poſſe adhuc reſpectu alio ad auxilia gratiæ à malo retrahentia, atque inducentia in bonum ſimpliciter & abſolutè talem, ac ſecundum quid ſolum indurationem in peccato cogitari: & iuxta hunc reſpectum ea induratio ſecundum quid erit, quæ aliquibus ſolum gratiæ auxiliis reſtitura de ſe, & natura ſua ſit, tametſi intenſis & vehementibus, non autem omnibus, extraordinariæ etiam, & miraculoſæ prouidentiæ gratiæ ſit reſtitura. Ea vero abſolutè, & ſimpliciter induratio in peccato eo etiam habito reſpectu cenſeatur, quæ omnibus etiam extraordinariis, & miraculoſis diuinæ gratiæ auxiliis reſiſtere apta de ſe, natáque ſit. Dico autem omnibus, non incluſis à Deo omnibus, vt aliqui pauculi in diuina potentia extraordinariſſimi, & miraculoſiſſimæ prouidentiæ non claudantur, quibus reſtiturus ita induratus non eſſet, vt eius nimirum voluntas verti à Deo quo velit abſolute poſſit, vt ſupremum Dei dominium in voluntatem omnem creatam (à quo nulla induratione eximitur) vt diximus ſeruetur: tum etiam, quia moralis impoſſibilitas, abſoluta ſeu quam maxima impotentia recedendi à peccato non excluditur, ex eo, quod adeo extraordinariis auxiliis gratiæ poſſit ſuperari. His prænotatis ad noſtras concluſiones veniamus.

2. Dico primo: induratio in peccato reproborum propria & confirmationi prædeſtinatorum in gratia aduerſans vltra conſequentem neceſſitatem peccandi, & non abſcedendi à peccato addit habitum intenſiſſimum peccandi ſiue in aliquo peccati genere, ſi ex parte, & ſecundum quid ex parte materiæ, & obiecti induratio ſit, ſiue abſolutè in omni genere, ſi ſit abſoluta, & ſimpliciter induratio, & ex quo permanenter ad peccandum diuturne ſi vita ſuppetat diuturna, & contra vehementes, & frequentes Dei inſpirationes, ac non abſcedendum à peccato induratus impellatur, ac propendeat: concluſio hæc ex dictis de confirmatione in gratia, & datis pro noſtra ſententia probationibus huc aduocatis ſatis probabitur: quod enim neceſſitas logica peccandi, & perſeuerandi in peccato, ad indurationem ſpecialem, de qua loquimur ſatis non ſit conſtat: quia alias reprobi omnes, qui ex vi reprobationis eam logicam neceſſitatem habent, eſſent ex induratis in peccato, ad quos ſane plerique eorum pro ſtatu viæ non ſpectant: quare habitus permanens ad peccandum, ac non abſcedendum à peccato ex parte actus primi addendus eſt ex quo permanenter, & pro quovis vitæ tempore, & contra frequentes, & extraordinarias Dei vocationes, & auxilia ſit adeo ad peccandum propenſus, vt moralis neceſſitas peccandi, & impotentia à malo recedendi ipſi permanenter inducatur: nihil enim aliud ſupra logicam illam peccandi, & adhærendi mortali poteſt ad indurationem veroſimiliter afferri, ac deſignari debet autem eſſe etiam ad diuturnam, & contra plures, frequentes, ac vehementes, & extraordinariæ, ac miraculoſæ etiam prouidentiæ Dei inſpirationes, vocationes reſiſtentiam: alicui enim vehementi inſpirationi: imo, & aliquibus, ac per occaſiones aliquas reſiſtere peccaréque, & peccato adhærere, nec reſipiſcere aliquandiu, non ſolum reprobis abſolutè, adhuc in aliquo peccati genere, non induratis, ſed prædeſtinatis pluribus contingit: certè induratio hæc, & ex parte, vt ſic dicam formæ abſolutè talis, tametſi ex parte materiæ ſecundum quid, quia in aliquo ſolum peccati genere induratio eſt ſæpe viatoribus contingit, atque eius generis fuiſſe cenſeo Pharaonis indurationem in non dimittendo populo contra vrgens Dei, tot ſignis, & flagellis etiam intimatum, ac demonſtratum præceptum, & alias in aliis peccatorum generibus, quas ſcriptura alibi commemorat, atque ex authenticis, & fide dignis de aliquorum obſtinatorum perditione hiſtoriis didicimus.

3. Abſolutam vero, ac ſimpliciter prorſus, in omnique

peccatorum genere indurationem viatori alicui reprobo, etiam perditiſſimo contigiſſe non legi, neque obuenturam facile credam: ita enim vniuerſim, & generatim omnigeno peccato mortali adhærere, atque animum vehementer ad ea omnia impelli ex motiuo quod in omnibus mortalibus inueniatur eſſe ſolummodo poteſt: illud autem duplex ſolummodo inuenitur; ſcilicet peccati grauis & malitiæ, ſeu grauis etiam offenſæ Dei ratio: ob malitiæ autem, adhuc leuis, nedum grauis rationem vllum peccatum, nedum omnia, amari eſt prorſus impoſſibile: immo ſi materiæ circa quam, vel in qua peccata exercentur iucunditas, vtilitas commodumvé noſtrum abeſſet, ea omnia neceſſario ratione malitiæ auerſaremur. Ratione vero offenſæ Dei grauis, quæ in omni mortali etiam reperitur, niſi ex odio formali Dei efficaciſſimo amari mortalia omnia nequeunt: cum autem odium hoc efficaciſſimum Dei, etſi abſolutè poſſit, vix de viatore aliquo credi prudenter poſſit, aut præſumi, multo ſanè minus habitus ex pluribus actibus eiuſmodi procedens, & intenſus, ad ſimiles alios, & inde ad mortalium omnium amorem: quia graues Dei offenſæ ſunt potenter impellens vt ad eiuſmodi indurationem oportet obuenturus viatori alicui credetur: de facto ergo obduratio eiuſmodi propria Dæmonum prudētiæ æſtimatione regulariter cēſēda eſt, an vero irregulariter alicui viatori de facto obuenerit obuenturáve ſit ex dicendis de principio actiuo habitus permanentis quo induratio completur vt diximus, clarius commodiuſque definietur: quid autem habitus ille à Deo potenter in malum, & peccatum impellens, ac moraliter neceſſitans ſit ex dictis de habitu confirmationis in gratia ſatis conſtat.

4. Dico ſecundo: Præfatus habitus peccandi potenter in malum, & potenter impellens ac moraliter neceſſitans ad peccatum in genere, & materia aliqua peccati ac ſubindè induratio in ipſo ſæpè, ac frequentius (vt minimum) ex actibus pluribus peccandi in eo genere, ab indurato effectiuè progignitur. Probatur: quia habitus omnes adquiſiti ad actus quoſvis eliciendos naturaliter, ac ſubinde connaturali prouidētia ex actuum ſimilium, pluriumque, & plurium, quo intenſiores habitus ſunt, repetitione procedunt: quod autem fit ex cauſis naturalibus ſuis, & connaturali prouidentia ſæpe, frequentius, & plerumque de facto fiunt (eſto ab aliis cauſis ſuper, vel præter naturaliter fieri abſolutè poſſint) ergo præfatus habitus intenſus impellens, moraliterque ad peccatum in genere, & materia aliqua neceſſitans ex plurium frequentium ac intenſorum actuum generis eiuſdem repetitione generantur, & actiue procedūt. Probatur ſecundo ex illo Ieremiæ 13. *Si mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas? & vos poteritis benefacere*, quibus moralis neceſſitas peccandi, & impotentia benefaciendi illorum in malo indurationem complens, & conſtituens ſignificat (vt diximus cert. 3. n. 2.) Propheta: ſtatim autem rationem, & cauſam impotentiæ moralis ad bonum, & neceſſitatis etiam moralis ad malum ſubdit Ieremias, *Cum didiceritis malum*, id eſt malo idololatriæ, de qua ibi, fueritis aſſueti: ſimiliter probatur ex Ioanne 5. quomodo vos poteſtis credere qui *gloriam ab inuicem accipitis*: & aliis ſcripturæ locis frequentibus: eſt autem valde obſeruandum habitum hunc indurationis in peccato aliquo naturaliter actuum peccandi in illo genere multitudine, & repetitione adquiſitum, non adeo impellere indurareque hominem in peccato, atque oppoſitus habitus confirmationis in gratia hominem in illa confirmet, & contra peccatum obduret: ſiquidem ille habitus naturali virtute, & actiuitate actuum creatorum producitur, quorum etſi plurium, & intenſorum actiuitas longè minor, & eſt & exercetur, quam ea ſit, quam Deus ſpeciali confirmationis in gratia dono, vt ſpecialiſſimum priuilegium, & effuſi in paucos, adhuc ex prædeſtinatis, amoris ſignum exercet.

5. Dico tertio: præfatum habitum obdurationis in aliquo peccati genere poteſt abſolutè Deus ſe ſolum ipſo, induratis per accidens infundere. Dixi in genere aliquo: nam de habitu obdurationis in omni peccato mortalis genere altius examen & aliunde poſt modum erit, eſt Vaſquij noſtri, & aſſeclarum, concl. 1. 2. t. 2. d. 90. c. 4. n. 11. §. *Prima quidem* aſſerentis habitum vitioſum, in malum infundi à Deo per accidens poſſe, nulla intenſionis, aut propenſionis limitatione, aut taxa menſuræ deſignata: immò Vaſq. ratio à paritate concurſus ad peccatum oblati creaturæ à Deo, de omni & ſumma etiam intenſione, ac proinde quæ ſatis ad indurationem in peccato illius generis ſit æque, & apertè probat: cum non ad remiſſiores gradus actus peccaminoſi, ſed ad intenſos, etiam ſummè concurſum ſuum offerat, ac præſtet Deus, ac proinde ad ſummam habitus intenſionem, vel ad nullam infundendam paritatis ratio, & mens Vaſquij, & aſſeciarum extenditur, fateor huic paritati facile aſſignari diſparitaté poſſe: cum Deus decreto ſuo concurrendi ad peccatum cum creatura ipſam ad peccatum nec inducat, nec inclinet, nec trahat nedum à Deo potenter, atque habitus indurans ipſam in illud impellat, moraliterque ex parte actus primi neceſſitet. Aliunde ergo concluſionem probo primo: quia habitus illius infuſione nequit Deo, vt authori, creaturæ peccatum imputari: etſi enim per eiuſmodi habitum moralis illa neceſſitas peccandi creaturæ recipienti inducatur; aſt indifferentia, & libertas phyſica relinquitur, vt non niſi ex phyſicè libera creaturæ determinatione peccatum ab ea admittatur cum non admitti, etiam eo habito præſuppoſito ab illo abſolutè poſſet: quare ſibi tandem ipſi creatura debet quod peccet: confirmatur, quia tam externæ quam internæ tentationes acres, ac vehementer in peccatum ex parte actus primi impellentes poteſt Deus creaturæ immittere, dummodo ex fine vt labatur non ſit, ſed vt maiori cum fide ſtet, & illuſtriori victoria triumphet, atque maius præmium, & ampliorem coronam obtineat, quam ſi leues tentationes ſuperaret, vel ex alio quo velis honeſto fine: ergo, ex eodem fine poterit Deus habitum vitioſum intenſum æquéque ex parte actus primi in peccatum impellentem infundere. Antecedens eſt certum, & in præcepto Domini de filij Iſaac immolatione quo Abrahamum tentaſſe dicitur, comprobatum.

6. Confirmatur ſecundo: quia plures tam prauæ indolis, & ad aliquod vitij genus adeo natura propenſi ex diſpoſitione, & prouidentia Dei circa cauſas naturales ipſorum procreantur, vt vix ex quo etiam ad vſum rationis perueniunt, & ne vix quidem, ab eius vitij exercitio inſpirationibus, & adhortationibus vehementibus pœnarum grauiſſimarum imminentium terrore, & inſidiarum dolore, & horrore poſſint abſtinere: ergo & habitum vitioſum indurationis in aliquo peccati genere quia certè hominem nihil magis impulſus, ac moralis neceſſitatis ad peccandum in aliquo peccati genere ex parte actus primi apponit, poterit Deus per accidens infundere. Hæ autem confirmationes ideo verum habent, quia etſi in vtraque vehemens adeo propenſio, & moralis cum neceſſitas ad peccandum mortaliter in genere aliquo, tum impotentia ad bonum, & honeſtum exercitium virtutis oppoſitæ ex parte actus primi à Deo, vel tentationes vehementiſſimas immittente, vel naturales cauſas ad peſſimam illam hominis indolem diſponente, ac prouidente apponantur, cum tamen ſimul de ſufficiente abſolute auxilio ad obluctandum, reſiſtendumque illis etiam potentiſſimis, & peſſimis in malum propenſionibus homini illi à Deo prouideatur, penes illum tandem hominem eſt quod prauæ ſuæ indoli, & immiſſæ tentationi ſuccumbat, & peccet. An vero de facto eum indurationis in aliquo peccati genere habitum indurato alicui immiſerit immiſſurusve ſit? Cenſeo Pharaoni à Deo immiſſum: idque vltra permiſſionem inobedientiæ in populi retentione illis verbis, *Ego indurabo cor Pharaonis*: ſignificari, contra eam indurationem ex parte actus primi pugnatum à Deo tot portentis editis, plagis & flagellis fuiſſe, vt iuſtitiæ, & potentiæ ſuæ magnitudinem, & in eius perditione, & in populi ſui libertate demonſtraret: quid autem in aliis reprobis à Deo actum agendumve de facto ſit: nihi poteſt prudenter à nobis definiri: niſi eius habitus, & indurationis in aliquo peccati genere infuſionem à Deo, valde proportionatum ſit ſuperborum ſupplicium.

7. An vero habitus indurationis omni ex parte abſolutæ, & ſimpliciter talis, ſiue in omni genere peccati immitti infundique per accidens à Deo poſſit maior eſt difficultas: in qua pro affirmante ſententia fundamenta aliquot extant. Primum ex proxime dictis: quia abſque vlla diuinæ bonitatis, ſanctitatis, & iuſtitiæ, alteriuſve diuini attributi iacturâ,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ctura : quare citra omnem Dei indecentiam fieri à Deo poſſit : cum inde nullius culpæ à creatura, cui eiuſmodi habitus, & generalis induratio in peccato à Deo per accidens infunderetur, admiſſæ author, cauſáve Deus eſſe, dicive poſſet, vt ex proximè dictis patet. Secundum : quia is habitus, & generalis in peccato induratio Dæmonibus, & damnatis cunctis ita à Deo infuſa videtur : Ergo, & infundi etiam à Deo per accidens viatoribus poterit : Conſequentia videtur legitima. Aſſumptum antecedens probatur : etenim Dæmones, damnati omnes ſtatim ac viæ ſtatu abſcedunt, & ſtatum damnationis pertingunt indurationem generalem illam in peccato omnigeno mortali patiuntur : eam autem acquiſito à ſe habitu non habent : ergo infuſo per accidens à Deo habebunt. Minor probatur ( nam reliqua probatione non egent : etenim Dæmones, & damnati plures vno, vel ſaltem non multis mortalibus commiſſis via, vitáque præſenti abſcedunt, nemóque tot intenſis odij Dei formalis, & expreſſi actibus intenſis : quot ad generandum habitum odij Dei adeo intenſum, vt ad indurationem generalem in peccato opus eſſe diximus : ergo eum habitum, & indurationem generalem in peccato, nec Dæmon, nec homo vllus à ſe adquiſitum ex ſtatu viæ ſecum ad ſtatum illum damnationis adſportat : ſed neque inſtanti primo, & initio damnationis ſuæ poteſt illum acquirere : cum non niſi pluribus intenſis actibus odij formalis Dei, (quos omnes nequit damnatus inſtanti vnico illo elicere) poſſit ab eis intenſiſſimus habitus ad indurationem illam neceſſarius generari : Ergo is indurationis generalis habitus à Deo per accidens infunditur cunctis damnatis, ſiue Dæmonibus, ſiue hominibus, vt primo argumenti huius aſſumpto antecedente dicebamus.

8. Dico nihilominus quarto : Habitum indurationis generalis in peccato nequit Deus viatori alicui per accidens infundere, ni forte abuſus gratiæ tantus immanibus, frequentibus, peſſimiſque omnigenis peccatis admiſſis in perditiſſimo aliquo viatorum ( vltra menſuram quæ vt reor in aliquo ex reprobis erit ) ſit, ob quem eius habitus infuſione puniri à Deo merito poſſit. Probatur concluſio quoad primam partem : quia non piis ſolum auribus, ſed & rationi diſſonum videtur, diuinámque dedecens bonitatem viatorem purè, necdumque vitio ſuo noxium maléque meritum quoad mortalia perpetranda, in damnatorum exceptis pœnis, à Deo conſtitui, quid de ſe ſe, etiam originali præuiſo à Deo hominis cuiuſvis ſalutem deſiderat. Dices poſſe Deum ſimul cum habitu illo auxilia potentiſſima eidem viatori decernere, ac prouidere, quibus habitus illius quantumvis maxima in malum propenſio ſuperetur, idque in oſtenſionem virtutis, & diuitiarum gratiæ ſuæ. Reſpondetur tunc habitum illum indurationem in peccato abſolute non conſtituere cum neceſſitas logica peccandi ſine qua induratio in peccato eſſe non poteſt, & cum qua ſolum, & coniunctim, ac nuſquam ſe ſolo habitus ille poteſt indurationem conſtituere, viatori illi deficeret. Accedit : auxilio illo potentiſſimo ſimul ex parte actus primi poſito, ex parte etiam actus primi vires habitus ad malum impulſiuas frangi, debilitarique, vt ne moraliter determinent, neceſſitentque ad malum : immò etiam cum auxilium ſufficiens tantæ virtutis motiuæ in bonum conferretur, quanta eſſet habitus illius impulſiua virtus in peccatum : tunc enim ex parte actus primi voluntas in æquilibrio virtutis, & inclinationis ad vtrumvis maneret : quare ad neutrum moraliter neceſſitata, vt de ſe patet. Ex hac ratione concluſionis fundamenta ſententiæ affirmantis euaneſcunt. Primum : quia non inde negamus; quod author peccatorum Deus foret, ſed aliunde. Secundum : quia etſi Deus habitus indurationis generalis in peccato damnatis cunctis foret, non inde infertur ſimilis habitus, & indurationis viatorum cauſam eſſe poſſe, ob rationem datam : cæterum nec damnato alicui, nedum omnibus, eius habitus, & indurationis cauſa Deus eſt : quia eorum obduratio non habitu, ſed odio actuali Dei vehementiſſimo in damnatis completur, quod licèt de ſe actus, nec permanens natura ſit damnationis tamen ſtatus Dei odium actuale, ſicut & mala cætera, continuum, permanens perpetuum, nunquam, nuſquamque interruptum, neque æternitate tota interrumpendum facit damnatis : cuius permanentiæ defectu odium actuale Dei, etſi viatori contingeret, eius indurationem in peccato nec compleret, nec conſtitueret.

9. Secunda vero concluſionis pars facile probatur : quia à Deo immanibus, & frequentibus delictis viatoris alicuius ſatis rationis, & motiui Deo apponeretur, vt citra bonitatis ſuæ indecentiam, & rationis ſuæ, ac noſtræ diſſonantiam ſtatu illo, quoad peccandum, damnatorum, ipſum puniret. Addidi vero menſuram peccatorum illorum, nullius reprobi de facto pertingere : tum quia in nullo à Deo frequentia, multáque, & immania in omni genere peccatorum ſunt, vt proportionem cum habitu generalis indurationis in peccato completiuum habeant, nec tantum demeriti, & motiui habeat, vt ad ſtatum illum infeliciſſimum pro viæ ſtatu viatori infligendum Dei bonitatem vincant, ac Deum trahant vel invitum idcirco eum generalis obdurationis habitum nulli reprobo à Deo infuſum credo : immò nec indurationis ſpecialis in aliquo peccati genere : ſi Pharaonem, vt diximus excipias. Neque enim Deus, in hominem ſat ex vitiata natura ad malum decliuem, & propenſum. *Tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ*, vt Pſalmo 61. dicitur, eius habitus infuſione irrueret. Maximè cum ſancti Auguſtini, & Patrum ſententia ob vitiatæ noſtræ naturæ propenſionem in malum potentiora, quam Adamo dederit, nobiſque daret, ſi ad nos vſque innocentiæ ſtatus perueniret, gratiæ auxilia nobis prouiderit : immo, & magis longe efficacia ex Chriſti meritis, quam Angelis dedit, vt naturæ noſtræ infirmitatem maiori gratiæ fulcro, & ſupernaturalis auxilij adiutorio fulciret : de quibus controu. de Angelis, & innocentiæ ſtatu agetur.

## QVÆSTIO II.

### *Ecquid vitæ, mortiſque liber ſit; ac prædeſtinationi, vel reprobationi addat.*

DE vitæ libro diſputarunt Scholaſtici veteres in prima ſententiarum ( exceptis Scoto, Henrico, Gregorio, & Marſilio ) Sanctus Thomas iterum prima parte, quæſtione 23. vbi eius Interpretes Vaſquez, Ruiz de Montoya, Ioannes Præpoſitus, Faſolus, etſi eam diſputationem alij Recentiores Scholaſtici omiſerint. Diſputarunt item Sacri Interpretes ad Pſalmum 68. verſu 29. vbi latè Lorinus, Exod. 31. Daniel. 12. Lucæ 10. Apocalyp. 3. & 17. de mortis libro, etſi in ſacris litteris expreſſa à Deo mentio non ſit, eſt autem fundamentum maximè ex iis, quæ de libro vitæ dicuntur.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## CERTAMEN I.

### *E libri vitæ acceptionibus propria Theologia ſtatuitur.*

1 VItæ liber in Deo per metaphoram dicitur ex ma-
teriali libro, in quo memoriæ gratia actorum
agendorumue ( maxime circa electos ad dignitatem ali-
quam) aliquorum nomina,ab hominibus ſcribuntur. Pro-
prietate ſiquidem ſermonis Deo eiuſque notitiæ præſenti
ſemper & inde fectibili natura ſua, atque indelebili me-
moria,eiuſque proprius liber omnino repugnat,vt obſer-
uat ad rem hanc Auguſtin. 20. de ciuit. c. 15. fine verbis
hiſce. *Non Deum liber iſte commemorat,ne obliuione falla-
tur;ſed prædeſtinationem ſignificat eorum, quibus æterna
dabitur vita. Nec enim neſcit eos Deus, & in hoc libro le-
git,vt ſciat.* Vitæ igitur liber ob indefectibilitatem, & in-
delebilitatem longe maiorē ſcientiæ Dei de ſuis prædeſti-
natis ad vitam quam conſcriptorum in libris noſtris ſit,
ſcientia ipſa Dei liber vitæ nominatur,vt proxime recita-
tis ita adnectitAug. *Sed potius ipſa eius præſcientia de illis,
quæ falli non poteſt, liber eſt vitæ in quo ſunt ſcripti, id eſt
præcogniti.* Eā ſane metaphorā dedit olim Ariſt. 3. de ani-
ma text. 14. intellectum *tabulæ,in qua nihil ſcriptum, ac
depictum* eſt comparans, vt cum intellectio accedit liber
ſcriptus eſſe eadem metaphora intelligatur: porro vitæ
liber multoties in ſcriptura legitur, non tamen ſemper
Theologico ſenſu in quo de libro vitæ à Doctoribus
præfatis diſputatur, ac nobis diſputandum eſt, libri enim,
quibus de lege, ac præceptis Dei,agitur, Moſis, Propheta-
rum,ac de conſiliis, & adhortationibus ad virtutem ſe-
ctandam, & vitam æternam conſequendam vitæ libri di-
cuntur; quia ſcripta in illis ad vitam æternam lectoribus
conducunt.Ita enim habetur Eccleſ.24. *Hæc omnia* (quæ
ibi ſapiens ſcripſit) *liber vitæ,& teſtamentum Altiſſimi,&
agnitio veritatis, legem mandauit Moyſes in præceptis iu-
ſtitiarum.* Quod ſi quæ ad vitam æternam conducentia
Chriſtus Dominus loquebatur, *verba vitæ æternæ,* merito
à Petro appellata ſunt:eodem iure & ratione eadem & ſi-
milia ſcriptis tradita,ſcripta,ac liber ſubinde vitæ dicen-
tur, ſed tamen Theologico diſputationis noſtræ ſenſu
ſæpe alias de libro vitæ vel expreſſis, vel æquiualenti-
bus vocibus eſt in ſacris libris mentio.

2. Exod.33. *Si non facis hoc dele me de libro vitæ, quem
ſcripſiſti.* Burgenſis de libro virorum illuſtrium gentis iu-
daicæ, cuius Ioſue, & Regum libri meminerunt intelligi
voluit:de quo etiam loqui Pſalmum 68. *Deleantur de li-
bro viuentium,& cum iuſtis non ſcribantur:* Hieronym. &
Hilar.non prohibent, ſed inſinuant. Verum cum hiſtori-
cus ille liber necdum inchoatus eſſet apud Hebræos
Prophetice Moyſes de futuro libro, tanquam de præteri-
to locutus gratis dicetur ſecundo, quia liber ille ſcriptus
à Deo ipſo non fuit, ſicuti neq; alius præter Decalogi li-
brum; Moyſes vero librum vitæ hunc à Deo ipſo ſcri-
ptum expreſſe teſtatur. Tertio ex Dei reſponſo abiicitur.
*Non; ſed qui peccauerit mihi delebo eum de libro meo.* Li-
ber autem Dei proprius, & quaſi ſequeſtratus,à quo pec-
catis ſuis homines abolentur, ſeu ſcripti non ſunt ſalutis
haud dubio,ac vitæ æternæ liber, ſcientiaque Dei eſt. Et
quanquam hæc ſimilem verborum,pſal.68. interpretatio-
nem æque non refellant; aſt viuentium nomine Beatos
ſolum & ſaluandos à Pſalmiſta ſemper ſignificare conſtat
ex illo *portio mea in terra viuentium,* aliiſque locis pluri-
bus,& vulgaribus. Quo autem peccato intelligi debeat,
aut poſſit è libro vitæ ſcriptum deleri, poſtquam libri vi-
tæ eſſentiā ſtatuerimus opportunius docebimus Idem vi-
tæ liber Theologico ſenſu diſputationis noſtræ traditur
Daniel.12. *In illo tempore ſaluabitur omnis, qui inuentus
fuerit in libro.* Saluandorum ſcilicet, & ad vitam æternam
conſcriptorum & Lucæ.10. gaudentibus Diſcipulis, quod
eis dæmonia etiam in Chriſti nomine ſubderentur Domi-
nus ait. *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus
vobis ſubiiciuntur; gaudete autem, quod nomina veſtra
ſcripta ſunt in cœlis.* & 2.ad Timot.2. *Firmum fundamen-
tum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: nouit Dominus,
qui ſunt eius,* vbi æquiualentibus vocibus vitæ liber aſſe-
ritur: expreſſis vero ad Philippenſ.4. *Cum Clemente, &
cæteris adiutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vi-
tæ.* Apocal,3. *Non delebo eum de libro vitæ:* ac libri
vitæ hoc proprio ſenſu extat mentio, capite 13. 17.
& 20. fine, & capite 21. *Non intrabit in eam aliquid
coinquinatum, aut abominationem faciens, & menda-
cium; niſi,qui ſcripti ſunt in libro vitæ:* capite autem 2.
alio ſenſu liber vitæ memoratur. Denique Iſai.4. *Sanctus
vocabitur omnis, qui ſcriptus eſt in vita in Hieruſalem.*

3. Sed cum circa prædeſtinatos ad gloriam plures ſcien-
tias, noſtro intelligendi modo ( quo pro obiectorum &
ſtatuum diuerſitate eandem eius, & vniſſimam ſcientiam
partimur ) eaſque immobiles, indefectibiles, infruſtra-
bileſque habeat ( mediam, qua prædeſtinatio conſtat,
ſecundam prædeſtinationis ipſius tertiam operum ex præ-
deſtinatione à prædeſtinatis exhibitorum, quartam exe-
cutiuæ ad gloriam electionis ob eiuſmodi opera exhibi-
ta ) videndum reſtat an hæ omnes ſcientiæ,vel quænam
ex illis liber vitæ ſit, aut conſtituat? duplicem aliam
ſcientiam ( de quibus in Soariſtica ſententia de ineffica-
ce antecedente electione prædeſtinatorum ad gloriam,
& ad merita ipſa quæſtio eſſe eodem iure poſſet: nem-
pè an meritorum ordine intentionis, & gloriæ ipſius eo-
dem ordine librum vitæ conſtituat? ) conſulto prætter-
miſi, etenim efficacem antecedentem & abſolutam li-
berorum noſtrorum operum, & cuiuſvis effectus liberi,
etſi mediatè,à nobis obtinendi impoſſibilem,ac operum &
effectuum libertati contradicentem,tametſi illa per ſcien-
tiam mediam eſſentialiter reguletur dirigaturque, oſten-
dimus late controu.de volunt. d.6. Secundo merita ordi-
ne intentionis fictitia ſolum merita eſſe oſtendimus etiam
ſatis controu.de incarnatione,& præſente etiam controu.
non ſemel,ac fuſius controuerſia de merito vniuerſim;
quare eæ quæſtiones omittendæ à nobis fuerunt: ma-
ximè cum ex eis quæ de ſcientiis quatuor à nobis nu-
meratis, quæ prædeſtinationi explorato interueniunt,
& ſubſequuntur:Dicemus facile erit Soariſtis de ſuis illis
ſcientiis duabus ad rem præſentem definire.

4. Dico primo: ſcientia de executiua electione ad
gloriam,ſiue de prędeſtinatis in gloria abſolute colloca-
dis proprius,& Theologicus liber vitæ eſt: ita ſacri inter-
pretes ad loca citata, & Theologici communiter citati à
Ruiz d.60.ſect.1.n.2.Ioan.Præpoſ.1.p.q.24 & Faſol. Pro-
batur ex Patribus. Baſil. in Pſalm.138. id *in libro tuo om-
nes ſcribentur,* ita exponit. *Non ideo dicit, quod liber quiſ-
quam ſit in cælis, ſed, vt libri mentione exuctam ſcientiam
ſignificet:* vtiq; illam,qua poſt operum,ac meritorum con-
tingentiam,atque vitæ pericula ne regnaturi præſcientiæ
præſcientia abſoluta indefectibili,& indelebili de ipſorum
gloria quaſi libro permanenter à Deo ſcribuntur: quod
ipſum valet illud Luc.10. *Gaudete,quia nomina veſtra ſcri-
pta ſunt in cælis:* & poſtremum hoc *in cælis* tantumdem
atque in gloria valere conſtat ex verbo *gaudete* quod de
felicitate aliis ſuperiore,& ſuprema eſt: vnde Patres legūt
frequenter *in libro vitæ,* æternæ nimirū, Chryſoſt.hom.13.
ad Philip.4.propè morale,Cyril. Hieron. Baſil.ad Iſaiæ 4.
pro ead.concl.ſtant Auguſt.recit.n.1.& in Pſal.68, *delean-
tur de libro viuentium:* ſcribens. *Præſcius eſt: prædeſtinauit
omnes ante conſtitutionem mundi regnaturos cum Filio ſuo
in vita æterna. Hos,quos conſcripſit, ipſe continet liber vitæ.*
gloſ.ord.in ead.Pſalmi verba ſic ex Caſſiod. *Notitia Dei,
qua prædeſtinauit* (quaſi ſcripto deſignauit) *ad vitam,quos
præſciuit conformes fieri imagini Filij ſui,* & ad id Apoc 20.
*Alius liber,&c.* ait. *vel liber eſt præſcientia Dei: quia tunc
aperte ſcient mali ſe non eſſe prædeſtinatos ad vitam,quam
in mundo exiſtentes ſibi promittebant.* S.Iulianus Archiep.
Tolet.3.primum Aug.teſtimonium ex 20.de ciuit. cap.15.
tranſcripſit lib.3. Prognoſtic.c.39. Theophilact. ad verba
data ex Luc.10.ſcripta nomina in cælis ait, *non encausto,
ſeu atramento,ſed memoria Dei:* quæ nimirum non, niſi de
abſolutis,eſt Anſel.in c.4.ad Philip. *quis eſt liber vitæ, niſi
memoria Dei,in qua ſunt illi,qui viuunt in æternum,* & in
c.3.Apoc.lōgè ab init. *liber vitæ præſcientia dicitur diuina:*
conſonat Ioachim. Abb. in idem caput ſcribens. *Per li-
brum vitæ memoria illa Dei accipienda eſt, de qua dici-
tur: in memoria æterna erit iuſtus.* Richard. Victor. in
Apocal. parte 2. libro 1. c.9. longè à med. *liber vitæ eſt
ſapientia*

ORTE.G
In 1. part
D VIa

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Sapiẽtia Dei, in qua omnes electi recte dicũtur ſcripti, & ad vitã æternã ſunt prædeſtinati.* Hugo Victor. t.1.lib.quæſtionũ in epiſt.ad Rom. q.243. init. *Scribi in libro vitæ ſecundum præſcientiam eſt eſſe præſcitum, & præordinatum ad vitam.* Ac lib.inſtitut. monaſt. de clauſtro animæ.c.3. librum quartum vitæ ponit *Diuinam præſcientiam.* Theophilact.ad ea Pſalm.68. *Et cum iuſtis non ſcribantur*, ait. *Per libros ſcripturæ variam, ac multiplicem Dei cognitionem ſignificat*; & in id pſalm. 138. *in libro tuo* inquit. *Liber Dei eſt ſumma eius ſcientia: ſcriptura vero perpetua memoria.*

5. Dico ſecundo: hæc omnia expreſſe prædeſtinatione librum vitæ, nec conſtitui, nec eſſe, ſed ſola præſcientia Dei illum contineri teſtantur: in communiori ſententia noſtra de eſſentia prædeſtinationis ex ſcientia directiua electionis efficacium mediorum ad ſalutem, & electione ipſa vt eius complemento loquor: nam in eorum opinione, qui actu imperij intellectualis totam collocant prædeſtinationem his teſtimoniis prædeſtinatio à libro vitæ non ita facile reiicietur. Verum ea ſententia, à nobis ſupra affatim impugnata, nunc permiſſa, prædeſtinationem in quocumque ſtet, librum vitæ, ſiue præſcientiam, vt Patres aiunt ſaluandorum, non eſſe, probatur primo. quia, vt recto S.Th. vbique. q.7. de verit. a. 4. & in 3.d.31.q.1. a.2. & q.2. (quem ſequuntur. q.vn a.2.cart. Huſian.in.1. d.40.q.3. fine Ægydium etiam referens) & 1.p.q.24.a.1. prædeſtinatio, à libro vitæ, vt obiectum à ſui cognitione, & ſcientia differt: ergo prædeſtinatio ſiue in actu voluntatis ſiue intellectus ſtet non eſt liber vitæ, ſeu ſcientia Dei in qua hic iuxta Patres, & ſcholaſticos omnes conſiſtit, ſed ſcientiæ potius, ſeu libri vitæ obiectum S.Thomæ verba citato loco. 1. p. q. 24. a. 1. docte obſeruata à noſtro Vazq. in eius commentario ſunt. *Dei notitia, qua firmiter retinet ſe aliquos prædeſtinaſſe ad vitam æternam, eſt liber vitæ.* Secundo probatur à S.Thoma ibidem a.2.corp. *quia liber vitæ potius*, ſeu proprie, *dicitur vitæ gloriæ, quam vitæ gratiæ*: aſt prædeſtinatio in quocumque ſtet ad vitam gratiæ, imo ad ſola media efficacia illius conſequendæ immediate, directè, & executiue terminatur; illo ſiquidem tantum voluntas efficax & prouidentia ſeu præparatio eſt, etſi intentiue, inefficaciter tamen de ſeſe, gratię vitam, vt medium proximius, & vlterius gloriæ vitam, vt finem intendat: ergo prædeſtinatio vitę proprie, & principaliter dictæ non eſt: probatur maior: quia vita Sanctorum abſolute talis glorię ſolum vita in ſcripturis ſacris appellatur, non autem vita iuſtitię tantum, nedum auxiliantis gratiæ ad eam conſequendam. Etſi enim iuſtitia vita animæ ſicut peccatum mortale animæ mors appelletur, tamen ideo eſt quia æternæ vitæ iuſtitia conducit, vt peccatum æternam mortem operatur, quarum altera ſimpliciter vita, altera vero abſolute etiam & ſimpliciter mors eſt probat à ſimili S. Th. quia milites ad pugnandum ſolum non ad arma recipienda, ſine quibus tamen vt mediis pugnare nequeunt: atqui prædeſtinatio mediorum, ſine quibus vitam ad quam ſcribuntur prædeſtinati non obtinebunt ſolummodo eſt: ergo eorum ſcriptio in libro vitæ non eſt. Denique in communiori noſtræ prędeſtinationis conſtituendæ ſententia ex ſcientia media dirigente & mediorum efficacium electione, facilius probatur. Prædeſtinationem adhuc ratione ſcientiæ huius in ſe incluſę librum vitę eſſe non poſſe iuxta Scripturæ Patrum, & ſcholaſticorum ſentẽtiam. Quia ea ſcientia communis eſt prædeſtinatis & reprobis, cum omnes, nullo excepto, auxiliis aliquibus conſenſuri, & conſecuturi gloriam, & vitam æternam ſint, ac ea ſcientia à Deo cognoſcantur liberumque Deo ſit, ea ſcientia poſita hos vel illos prędeſtinare: ergo per illam prædeſtinati & ſaluandi non præſciuntur potius, eſſe ſaluandi, quam ij, qui non prædeſtinati ſed reprobi ſunt. Ergo illa ſcientia liber ſaluandorum, ſeu prædeſtinatorum, ac ſubinde vitæ liber firmus, certus, ac permanens non eſt.

6. Conſtat ergo ex duplici hac concluſione ſcientiam, ſeu præſcientiam abſolutam vitę & ſalutis æternæ abſolute & executiue futurę prædeſtinatorum, eamque ſolam præſcientiam vitæ librum proprie & Theologice acceptum eſſe. Duo tamen concluſioni huic ex duplici præmiſſa, & probata à Patrum authoritate obiici poſſe videntur primum ex Caſſiodoro, & gloſſa ſupra recitatis & authore commentariot. in Apocalypſ. inſertorum Ambroſij operibus, qui librum vitæ prędeſtinationem eſſe dicunt contra ſecundam concluſionem. Communis autem, & Germana ſolutio eſt quam Caſſiodorum, & gloſſam recitantes, breuiter dedimus. Nimirum prædeſtinare, & prædeſtinationem ibi, vt & alias ſæpe, idem atque præſignare, ac præſignationem valere, quod non niſi ſcientia Dei de iam prædeſtinatis ſeu electis (vt gloſſa ex Caſſiodoro præmiſerat fieri nequit. Quæ acceptio, & ſignificatio ſatis à Paulo traditur. 2. ad Timot. 2. n.19. *Firmum fundamentum Dei ſtat: habens ſignaculum hoc. Cognouit Dominus, qui ſunt eius.* Loquitur autem de prædeſtinatis & vaſis aliis in contumeliam hæreticis, Hymenæo &c. Secundo opponi poſſunt cum citati, tum alij Patres, & S. Thomas, qui ſcientiam prædeſtinationis ad gloriam, ſiue ad illam prædeſtinatorum vitæ librum eſſe docent: cum abſolutè dicta prædeſtinatio executiua gloriæ voluntas non ſit, ſed ſolum mediorum gratiæ efficacium ad illam obtinendam: reſpondetur tamen prędeſtinationem ad gloriam pro abſoluta electione ad gloriam (quæ non niſi poſt prædeſtinationem rigide acceptam, & abſoluta merita ac ſubinde executiua eſſe poteſt) à Patribus, & Theologis ſæpe vſurpari, vt electionem antecedentem abſolutam ad gloriam reiicientes obſeruabamus, id quod in S. Thoma locum vel maxime habet: cum 4.p.q.24. a. c.corpor. q.7. de verit.a.5.6.& 7. in 1.d. 40.q.1.a.2.4.3. ad. 3. & vbiuis de libro vitæ proprio. & Theologico egit, ſimpliciter & abſolute de libro, & ſcientia gloriæ, non gratiæ intelligi debere conſtanter affirmat.

## CERTAMEN II.

### *De mortis libro, & aliis vtrumque librum concernentibus.*

1 MOrtis librum in Deo negant ſcholaſtici ex primoribus. Albert. magn. 1. p. q. 69. m.2. Alexand. Alenſ. 1.p.q.23.m 2.ſub fin. ſ.1.p.q.24. a.1.ad. 3.q.7. de verit.a.8. Bruiz de Montoia cita.d.60.ſect.5.n.7. concl. 2. Faſol. 1.p.q.24.a.1.n.6.commentarij. §.vlt. Probat Alexander quia, *Sicut luce cognoſcuntur tenebræ, non tamen ibi videntur: ſic in libro vitæ cognoſcitur mors, non tamen ibi videbitur, vel legetur: quia non cognoſcetur ibi mors per eſſentiam, ſed per priuationem, & ita non poteſt dici per ſe, nec proprie liber mortis, ſed vitæ.* Huic tantum rationi fidit Faſolus, quæ eo tandem euadit, quod, vt morti deſtinati cognoſcantur, ſat ſit eos ſcientia, ſeu libro vitæ ſcriptos, & præſcitos non videri: ita enim, vt tenebræ cognoſcentur, quæ nuſquam in ſe, ſed priuatione viſionis lucis videntur. Confirmari poteſt ex verbis gloſſæ ad id Apocal. 2. *Alius liber* datis cert. 1. n. 4. *Vel liber eſt præſcientia Dei: quia tunc aperte ſcient mali ſe non eſſe prædeſtinatos ad vitam, quam in mundo exiſtentes ſibi promittebant.* Cum ſcilicet ſe in libro vitæ, ſeu prçſcientia ſaluandorum ſcriptos non videant. Albertus, & S. Thom. Probant primo: quia electi in libro ſcribuntur, non autem reiecti, ac repudiati; quales reprobi ſunt. Secundo: quia Deum de ſeſe vitam, ac vitę fontem mortis liber videtur dedecere. Hanc rationem altius inſpectam ita confirmo, quia libri alicuius ij ſolum dicuntur, qui vel ab ipſo, vel de eius mandato, & voluntate ab alio ſcribuntur, non autem, qui ſcribuntur, in eiuſue ſcriniis, aut bibliotheca contra ipſius voluntatem inſeruntur ab aliis; at vita ſolum, & æterna ſalus omnium, eiuſque ſubinde præſcientia & liber voluntatis Dei eſt, mors autem, & damnatio æterna reproborum eiuſque ſubinde præſcientia à Deo eſt contra Dei voluntatem, vt non niſi inuitus, & vocatus ab ipſis (vt Patres loquuntur) ad eorum mortem, & damnationem trahatur, vixque veniat Deus: ergo præſcientia, mortis eorum, non eius liber, ſed contra eius voluntatem in ſcientię ſuę ſcriniis, & bibliotheca ab aliis inſeritur, ac reponitur. Ruiz aliam deducit rationem noſtrę huic confirmationi non multum abſimilem ex illo Malachię 3.

*Scriptus eſt liber monumenti coram eo timentibus Dominum.* Quo autem pacto mors & damnatio impij, à qua Deus faciem auertit, liber coram Deo ſcriptus dici poterit, & liber *monumenti*, ſiue ad perpetuam rei memoriam, pœnęs & damnationis impiorum cuius potius vult de ſeſe, ac prę ſua pietate velle obliuiſci Deus. Vt acute Cyrillus ad eum locum ſic expendit. *Pœnam æqualem conſtituere oporteret : hoc etiam iniuriæ immemor prætermittit ; ſcribit autem librum monimenti timentibus ipſum.*

2. Dico primo : liber mortis reproborum proprie & per ſe eſt in Deo. Ita Pererius in c. 7. Daniel. Vazquez proxime commentario, articuli 2. §. *Baſilius tamen.* Ioan. Præpoſitus. proxime. n. 2. §. *Aduerte.* 1. conſenſit tacitus Soarez 1. p. tract. 2. lib. 1. c. 20. dum ex Patribus ſententiam recitat nec refellit. Probatur ex Ierem. 7. verbis. *Recedentes à te in terra ſcribentur* quæ Hieronymus ad 7. Daniel. verba *iudicium ſedis, & libri aperti ſunt.* Sic exponit. *Bonus liber ille eſt, quem ſæpe legimus, liber viuentium. Malus liber, qui accuſatoris tenetur manu : de quo Apocalypſis, accuſator fratrum noſtrorum. Liber iſte terrenus eſt, de qua Propheta dicit : in terra ſcribentur* : in quo etſi reproborum demerita, de quibus à dæmone reprobi accuſantur, contineantur, tamen cum virtute damnationem contineat, cumque libro viuentium, ſeu vitæ directe Hieronymus opponat, cui ſolus mortis, & damnationis opponitur directe, pro libro mortis poſitum à Daniele cenſet. Euthymius in pſal. 138. ad id in libro tuo omnes ſcribentur, ait. *In libro igitur diuinæ ſcientiæ omnes ſcribuntur, tam iuſti, quam peccatores,* & ad id pſalm. 6. *cum iuſtis non ſcribantur*, inquit, *eſt alius liber, in quo* peccatores ſcribuntur: iudicium enim ſedit &c. quod autem ſubdat Euthymius. *Verum hic liber, diuinæ ſcientiæ magis eſt vniuerſalis. Eſt enim alius liber magis priuatus, in quo ſoli iuſti ſcribuntur* : quaſi ei aduerſum mortis, & damnationis impiorum neget, nihil obeſt. Priuatum enim magis illum appellat, quoad denominationem libri, ſeu ſcientia approbationis, ſecundum quam reproborum librum ſolummodo negat Deo, qui reſpectu eorum approbationis ſcientiam nequit habere, non autem negat ipſi librum quo contineatur damnatio, & mortis impiorum, libro vitæ, & viuentium ſubſtantialiter aduerſum : ſubdit enim illico: *Ea ratione, quod eos* (iuſtos) *tantum cognoſcere hoc eſt approbare dicitur.* Clarius adhuc Baſilius Iſai. 4. ſub med. ad id *Sanctus vocabitur omnis qui ſcriptus eſt in vita in Hieruſalem*, ita illud Ieremiæ 7. ſimul exponens. *Iuxta ſenſum hunc duæ intelligi debent deſcriptiones. Vna quidem eſt eorum, qui ad vitam ; altera autem eorum eſt, qui ſcribuntur ad perditionem.* Scholi. in pſal. 68. ad id, *deleantur de libro viuentium*, ait. *Librorum ipſorum meminit Daniel. Iudicium*, inquit, *ſedit, & libri aperti ſunt, quod autem ait tale eſt. Haud quaquam potiantur beatitudine, quam nos per tuam gratiam adepti ſumus.* Nec obſcurior in eandem ſententiam Nazianz. Orat. 9. ad Iulian longe à med. n. 4. ſcribit. *Niſi forte de quodam libro viuentium, pereuntiumque libro nihil vnquam audiſtis. Illic enim omnes ſcribentur : vel, vt rectius dicam, iam ſcripti ſumus, pro merito quiſque confecti vitæ curriculi.* Subinferius. *Omnes Dei digito deſcripti ſumus : nobiſque irreuelationis die liber aperietur.* Cum igitur hæc tantorum Patrum teſtimonia à Deo aperta pro noſtra concluſione ſint, nec vllus ex Patribus librum mortis, ſeu præſcientiam damnationis reproborum, libro vitæ prædeſtinatorum aduerſum ſecundum ſubſtantiam, ſed ſolum ſecundum denominationem aliquam negarit, non video quo fundamento concluſio hæc noſtra viro Theologo negari queat : maxime cum à ratione iam ſubiicienda validiſſime etiam probetur.

3. A ratione ergo probatur, quia eſſe in Deo præſcientiam abſolutam mortis, & damnationis reproborum æque ac vitæ æternæ prædeſtinatorum præſcientia ſit. Ergo æque eſt in Deo liber mortis reproborum ac vitæ prædeſtinatorum, qui ſubſtantialiter in eiuſmodi præſcientia ſola conſiſtunt. Euaſiones, quæ tentari poſſunt in aduerſariorum rationibus datis continentur. Quare his diſiectis, & illæ erunt præcluſæ Prima Alexandri probat, Solum cognoſci in præſcientia ſaluandorum, ſeu vitæ libro in quo reprobi ſcripti non ſunt, non eſſe ad gloriam electos: quemadmodum, nec intra poſſibilitatem relictos ſcripti in libro ſaluandorum non eſſe cognoſcuntur, ſed omiſſi, atque in alia prouidentia ex mero Dei arbitrio atque ſine demeritis in electione ad gloriam prætermiſſi, ſeu omiſſi, in præſcientia ſaluandorum non eſſent, omiſſique priuatiue noſcerentur : quare poſitiue à gloria excluſi, & damnati ob demerita, in prouidentia præſente, nî damnationis, mortiſque æternæ ipſorum præſcientia abſoluta vlterius adſit, non ſatis à Deo cognoſcetur. Alberti vero, & S. Thomæ ratio à paritate prima nihil probat. Qui enim ad finem aliquem quem intendit aliquo ex pluribus eligit, certo numero ad eum finem neceſſarios, & vtiles elegit, vt Dux aut Princeps ad pugnam, & victoriam conſequendam, reliquis reiectis, hos ſolum ſcribere opus habet, reliquos vero quos negligit ſecus; at vero qui mercedis pro bene maleque geſtis reddere ex ſuo muuere vel tenetur, vel intendit tam meritorum, quam demeritorum bene maleque merentium, imo & ſententiarum præmij promeritis, vel pœnæ pro demeritis vnicuique reddendæ librum debet habere, vt in Principibus, Poteſtatibuſque humanis, & creatis patet, nec ſatis illis eſt promeritis præmiandos ſcribere, ſed & opus eſt ſcribere pro demeritis puniendos. Vnde & ſupremum omnium iudicem Deum præſcientiæ ſuæ libro non præmiandos æterna vita ſolum, & æterna morte puniendos continere perſpicuum à paritate fit. Secunda eorumdem ratio rebus integris ante peccatum mortale à reprobo admiſſum perſeueranterque ad extremum vitæ temporalis ſpiritum conſeruatum vim habet maxime ſuppetiis noſtris ſuffulta & confirmata. Tunc enim Dei ſolum bonitas, & pietas attenditur ex qua ita impenſe omnium ſalutem de facto amat, vt contra eius exploratam voluntatem hominum peccata abſolute ſint, ac diuinæ ſcientiæ præſententur, eiuſque permanente perpetuaque repræſentatione, tanquam libro, ſcribantur, ac ſubinde ob illa ſupplicium æternum infligendum : quare & ſtatu illo ſolo attento, Dei ſcientiæ, & libro inſeri potius illa, quam ab ipſo, eiuſve voluntate ſcribi, & apponi. At verò mortali perſeueranter, & finali appoſito à reprobis Deum non ſolum eorum damnationem, mortemque æternam ex iuſtitia ſua abſolute, & efficaciter, quare, & earum abſolutam præſcientiam velle; ſed, & de abſolute decretis, & executioni mandatis eorum damnatione, morte & pœnis æternis ad plauſum vſque manuum ſuarum, ſuper eorum malis gaudere teſtis nobis eſt Ezechiel. c. 21. n. 17. *Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo furorem meum in te.* Poſtrema Ruiz noſtri ratio ex Malachia, & Cyrilli interpretatione concionibus, quam Theologis diſputationibus aptior eſt.

4. Dico ſecundo : Rigido & Theologico ſenſu liber mortis ſtat in Dei præſcientia abſoluta mortis, & damnationis abſolutæ & executiue apponendæ, probatur facile ex dictis de oppoſito libro vitæ prædeſtinatorum. Etenim & decretum executiuum, ſeu damnationis & mortis eorum ſententia ob eorum demerita æque in Deo eſt, atque decretum præmij & vitæ æternæ prædeſtinatorum ob eorum merita executiuum : æque item in Deo eſt vtriuſque decreti executiui præmiandi æternum prædeſtinatos, æterneque puniendi reprobos abſoluta præſcientia : inſuper abſoluta præſcientia decreti executiui præmiandi prædeſtinatos vita æterna eſt liber vitæ prędeſtinatorum : ergo abſoluta præſcientta decreti executiui puniendi æterna morte reprobos eſt liber mortis reproborum : æque enim in prę́ſcientia abſoluta executiui decreti mortis æternæ reproborum permanenter atque indelebiliter repræſentatur, ac metaphorice ſcribitur, legiturque à Deo reproborum mors, & damnatio æterna, atque in præſcientia decreti executiui præmiandi æterna vita prædeſtinatos, eorum vita æterna permanenter, ac indelebiliter repræſentatur, metaphoriceque à Deo ſcribitur ac legitur, vnde hæc vitę liber dicitur vitę : ergo & inde illa mortis liber eodem iure, & proprietate mortis liber dicetur. Certe ratio hæc excludi nuſquam poteſt, niſi Dei omni ſcientia hæretice negetur, cum tam mortis reproborum, quàm vitæ prædeſtinatorum executiuum decretum, ſiue pro eorum

bonis

bonis maliſue meritis ſententia Deo adſit, nec poſſit non ab ipſo omniſcio abſolute videri atque cognoſci. Vnde rurſus à definitione ad definitum concluſio prima de exiſtentia libri mortis in Deo demonſtratur. Denique prædeſtinationis, ac reprobationis, ſiue pręparationis in voluntate diuina auxiliorum efficacium prædeſtinatis ad gloriam, & vitam certo de facto obtinendam, vel ſufficientium tantum reprobis, & cum eorum morte æterna infallibiliter de facto coniungendorum nec vitę; nec mortis proprietate Theologica dictæ librum formaliter eſſe ſatis ex dictis, ac de ſe claret cum neutrum auxilium, vita aut mors æterna formalis ſit eius, cui confertur, nec de ſeſe alterutri iungatur, ſed ex bono eius apud prædeſtinatos libero. contingentique vſu, atque abuſu etiam contingenti, & libero apud reprobos: quare in neutrius ſcientia præceſſiſſe firma, ac ſtabilis vel vita vel mors ſiue prædeſtinati, ſiue reprobi repreſentari permanenter, ſcribique ſubinde, ac legi à Deo poteſt.

3. Dico tertio: meritorum demeritorumque finalium prædeſtinati, vel reprobi præſcientia conducentes quidem libri ad eorum vel vitam, vel mortem ſunt, non vero vitæ, mortiſue libri Theologica proprietate. Prima concluſionis, & affirmatiua pars probatur ex Daniel. 7. *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt*: quæ Hieronymus in c. 34. Iſai. ſic exponit: *in quibus ſcripta erant opera ſingulorum.* Clarius Apocal. 20. *libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & iudicati ſunt mortui ex iis, quæ erant in libris*, primis, *ſecundum opera ipſorum.* Pſalm. 138. *In libro tuo omnes ſcribuntur.* Quem librum ad omnes iudicandos extendi, eoſque omnes continere Patres communiter intelligunt, etiam Auguſtinus. t. 9. lib. ſoliloquior. Si eius ipſe author eſt c. 28. tametſi alias ipſe, & Proſper ad ſolos prædeſtinatos extendi putent. Denique Eccleſia tota tractu miſſæ defunctor. Quotidie canit. *Liber ſcriptus profertur: in quo totum continetur, vnde mundus iudicetur.* Ratione probatur ex dogmatica Dei iudiciaria ſuprema in rationales omnes creaturas poteſtate: quæ nuſquam rite, ac recte pro cuiuſque meritis exerceri à Deo, ſicuti neque à creato aliquo iudice, poteſt, niſi ex meritorum demeritorumue cuiuſque abſoluta ſcientia: quę iudicio de eis omnibus vel ad vitam vel ad mortem æternam prudenter iuſteque ſecundum vniuſcuiuſque geſta ferendo ſubſeruiat eoque ſenſu laxiori vitæ mortiſque liber dici Theologice poteſt. Quod autem proprio Theologico ſenſu quo de vtroque libro diſputamus preſcientia meritorum, ac demeritorum nec vitæ, nec mortis liber ſit probatur: quia neutrius eſt abſoluta præſcientia, ſed ad eam anterior. Id quod ſatis rigide, & ſcholaſtice notatum video in teſtimonio ex Apocal. 20. proxime recitato, in quo librum vitæ, vt diuerſum à libris ex quibus mortui ſecundum opera iudicantur, ſeorſim, & ſingulariter Ioannes commemorat illis verbis: *& alius liber apertus eſt qui eſt vitæ.* Denique librorum vitæ, & mortis in ſcripturis memoratorum ſignificationes alias, & alias pro eorum, quæ, ad mores præſertim tractant Patres, & interpretes tradunt, quibus nunc referendis nec locus, nec tempus eſt.

Vbi de Theologica acceptione rigidiore ab eiſdem Patribus etiam tradita eſt nobis ſermo.

## CERTAMEN III.

### *Contra concluſionem ſecundam ex ſcriptura oppoſitio, vbi vtriuſque libri indelebilitas ſtatuitur.*

1 OBiicies contra concluſionem ſecundam. Præſcientia abſoluta Dei de executiuo decreto abſoluto cum præmiandi, prædeſtinatum, tum puniendi reprobum, æternæque eorum vel vitæ, vel mortis immutabilis indelebiliſque eſſentia ſua eſt: at liber vitæ delebiliſque eſt (vt conſtat ex illis exodi. 3. aut *dimitte illis noxam populi huius, aut dele me de libero vitæ*, & pſalmi illis deleantur de libro viuentium) quod ipſum de libro mortis eadem ratione erit: ergo liber vitæ mortiſue non ſtat in ea abſoluta præſcientia Dei Miſſis aliis primi teſtimonij interpretationibus Burgenſi confutati cert. 1. & aliorum veroſimiliores & noſtro Vazquez gratiore comment. articuli 3. *Tertio eundem locum* Primam optaſſe Moyſem Dei gloria (abſque ſua tamen culpa) æternum pro fratrum venia, & ſalute priuari, vt poſtea Paulus etiam optabat ad Rom. 9. illis verbis *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Ex ardentiſſima Dei & proximi charitate. Ita Chryſoſtom. homil. 1. de laudib. Pauli longe à med. lib. contra gentil. verſus med. homil. 79. ad popul. Antiochen. Bernard. ſerm. 12. in cant. verſus med. epiſt. 78. ad Suggerium ſub init. Ricard. Victor. de gradib. violentæ charit. ſub fin. Hug. Victor. q. 232. in epiſt. ad Rom. Sub diſiunctione gloriæ temporalis, vel æternæ, ſub qua etiam diſiunctione; S. Thom. in c. 9 ad Rom. lect. 1. cui expoſitioni conſentiunt Soto, Catherin. Salmeron vterque Cornelius & Cornelij à lapide. Ruiz de Montoia cita. d. 60. ſect. 7. n. 9 §. *Nihilominus*, ſtatuo pleroſque ex citatis recitans. Obſeruat autem Vazquez Chryſoſtomum Theophilactum. S. Thomam, & Origenem (qui eiuſdem interpretationis eſt) pro illo *optabam* legere *optauerim.* Salmeron legit ex Photio *optaſſem.* Quæ lectiones affectus Pauli, ac Moyſis perfectiſſimam erga Deum, & proximos charitatem non minuunt, ſed impoſſibilitatis optatæ ab ipſis rei cognitionem cognitam ab vtroque oſtendunt, eorumque charitatem, quæ eos vltra poſſibilitatem omnem ad impoſſibilia præ eximio Dei & proximorum amore optanda ex parte obiecti conditionatæ, ſi poſſibilia forent. agebat coniiciebatque ſummopere commendant, vt iam explicabimus. Huic porro interpretationi ſuæ inſtitit vbique Chryſoſtomus. 3. de prouidentia poſt med. 1. de compunctione eod. circa med. ad Roman. 9. hom. 16. ad longum recitatus à Salmerone in cap. 9. ad Roman d. 25. verſus fin. § *quod deinde allatum fuit.* Eum de more ſectantur Theodoret. Theophylact. & OEcumen in c. 9 ad Roman. quibus adde Theonam. Abb. laudatum à Caſſiano collat. 13. c. 6. Anſelm. ad locum Pauli, Bedam collectaneis in eundem locum, Baſilium in regulis fuſiorib. q. 3. Hieronymum ad id Michææ 2. vtinam non eſſem, & t. 3. epiſt. 151. ad Aglaſium. q. 9.

2. Certe eis affectibus Moyſem, & Paulum perfectiſſimæ charitatis in Deum, & proximos exercuiſſe cum priuari citra peccatum gloria ſi poſſibile eſſet optarunt; patet: ſi quidem populi ſalutem ex qua gratiſſima Deo & innumerata populi illius opera honeſta exhiberentur, nec pauciora infenſiſſima vitarentur peccata: charitas autem perfectiſſime ordinata communia omnibus proximis, & communitati ſubinde bona tam poſitiua, quam priuatiua, commodis incommodiſque priuatis cuiuſque anteferri dictet, multoque magis gratis Deo obiectis apponendis, ingratiſque, & infenſis ipſi vitandis

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

vandis præponere. Etſi autem priuari gloria, delerique vitæ libro ſit abſolute impoſſibile, id tamen conditionate, ex parte obiecti, & ſub hypotheſi, quod poſſibile foret charitatis ſummum eſt: vt de affectu illo magni omnium Magiſtri Auguſtini celebratiſſimo, *ſi Auguſtinus eſſet Deus, & Deus eſſet Auguſtinus*, &c. communiter, ac veriſſimè reputatur. Longeque maior charitas, quam pro amicis animam ponere: etſi hæc ex affectibus, qui obiectorum poſſibilitatem non prætergradiuntur, deducique ſubinde ad effectum abſolute poſſunt ſumma charitas ſit Chriſto Domino, teſte Ioan. 5. *maiorem charitatem nemo habet* &c. Dices: Chriſtum Dominum ſummæ charitatis exemplar (teſte eodem etiam Paulo. 1. Corinth. 1. imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti) eum charitatis actum non habuiſſe, vt vnione hypoſtatica, ac viſione Dei æternum priuari è Dei, & hominum charitate adhuc conditionate ex parte obiecti voluerit, cuius tamen charitatis perfectionem imitatus ſolum Paulus fuit, non aſſecutus, neque aſſequi vllus purus homo poteſt. Reſpondet citatus Ruiz. n. 15. vnionem hypoſthaticam. atque eſſentialem gloriam humanitatis Chriſti creatis cunctis bonis ſiue poſitiuis, ſiue priuatiuis coniunctim etiam ſumptis longe eſſe maius bonum, & appretiatiuè æſtimabilius, quare neque ex charitatis regula & perfectione hominum bono, & ſaluti potuiſſe à Chriſto Domino alterutrum poſtponi: ſicut cuiuſuis creaturæ gloria, & ſalus communi reliquorum ſaluti coniunctim ſumptæ poteſt ex perfectionis charitatis poſthaberi. Reſpondet ſecundo n. 16. ex Salmerone proxime citato. §. *cum autem Paulus* quoad gloriam paratum Chriſtum Dominum fuiſſe ea priuari ne mundus inreconciliatus maneret, & inredemptus: quoad vnionem hypoſtaticam idem dicere, non poterat, cum ea ſublata in communi ſententia redimi mundus ab humanitate Chriſti non poſſet, & certe non eſſet redimendus. Audiendus denique pro interpretatione hac Hieron. citato loco epiſtolæ ad Aglaſium. Vbi hæc per per admirationem ſcripſit. *Quæ eſt iſta tanta mutatio, inaudita prudentia*: vt pro charitate Chriſti nolit habere Chriſtum? & videndus Chryſoſtomus à Salmerone recitatus citato §. *Quod deinde allatum fuit.*

3. Secunda vtriuſque loci interpretatio eſt Moyſem Paulumque ex nimia, certaque amoris Dei erga ipſos confidentia, vt ab ipſis alienaretur, vel libro vitæ, amicitiæ ſolutione, deleret petiiſſe vel optaſſe; ni veniam populo daret,, eumque reconciliaret ſibi: quia ne illos ab amicitia ſua repelleret, veniam reconciliationem largiturum populo Deum prudentiſſime credebant, imo inde illos amplius amaturum. Ita Baſil. q. 3. citata ſic fatus de Paulo *quia non ignoraret non poſſe fieri, vt is alienaretur à Deo, qui ob charitatem Dei gratiam abieciſſet, ſeque ob eam cauſam multo plura accepturum, quam, quæ dediſſet*. De vtroque expreſſius Hieronim. in c. 2. Ionæ ſub init. fuſius, & elegantius Paulinus epiſt. 20. ad Amandum verſus fin. Auguſtin. quæſt. 147. in Exod. & iterum in pſalm. 77. ad id, & non accendit omnem iram ſuam, ita de Moyſe ſcribens. *Paratior deleri pro ipſis, quam ipſos. Sciens apud miſericordem ſe id agere, qui, quoniam nullo modo deleret ipſum, etiam illis parceret propter ipſum.* Sic amantiſſima vxor, filiuſque chariſſimus mariti, patriſque in ſeruum furentis diſtricto ferro ſe obiiciunt, ac ſerui corpori ſe interponunt, vt ipſum ab heri furore liberent, qui eum, niſi chariſſimis pignoribus tranſuerberatis ferire non poteſt. Hanc interpretationem merito probant Valentia in c. p. quæſt. 24. pu. 3. Faſol. incarn. 3. fine. Ioan. Præpoſitus, Ibidem, §. Ad prius prætermiſſit. Ex alterutra vero interpretatione conſtat diuinæ præſcientiæ librique vitæ conſtantiam, ac indelebilitatem neutrobique impugnari. Neque vero præfatis duabus anteferri poteſt (vt volunt Caietanus in Pauli locum, Bartholom. Çamerar. c. 6. dialogi Catholici, Vazquez comment. præfati. a. 3. §. *Sed his præferenda*) expoſitio, vt *optabam* Pauli. Ad tempus, quo ille in Iudaiſmo erat referatur: atque ex amore, quo tunc Iudæos proſequebatur, & tunc cum Chriſti erat Apoſtolus perſeuerante in eorumdem amore perſiſtentiam immediate anterius à ſe diuini teſtimonij obteſtatione aſſertam, & iuratam confirmaret, vt docte Vazquez ponderabat Suo hanc interpretationem à Hieronymo, & Anſelmo memoratam, ad eum locum, nec improbatam fuiſſe, ſatis tamen eam reiiciunt cum aliam, vt vidimus num. 1. & aduerſam ſequantur, & huic ne probabilitatem quidem deferant. Verum vel iuramentum eſt ad confirmationem amoris ſui erga legem, & Iudæos, odioque in Chriſtum cum Iudæis Paulus erat: & de hoc eſſet plane iuramentum otioſum cum omnibus id eſſet notiſſimum, neque alicuius fidem poſſet ſuperare: vel eſt de amore, quo iam Chriſti Apoſtolus Iudæos proſequebatur: & hunc ex amore illo legis, & Iudæorum, probare minime poterat, ſed ſolum improbare. Si enim legis & Iudæi quam tunc veram reputabat amore, ac zelo Iudæos ita proſequebatur, atque à Deo oderat Chriſtum, eiuſque legem, & ſequaces, potius infertur Paulum iam Chriſti Apoſtolum Chriſtianæ legis amore & zelo pari odio Iudæis & legem eſſe proſecuturum, illi quo antea Chriſtum eiuſque legem proſequebatur.

4. Inſtas ex pſalm. 68. *Deleantur de libro viuentium* quibus, ſiue oret Pſaltes, ſiue prænunciet ſuorum è libro vitæ delebilitas poſſibilis vt minimum, denuntiatur: ſicuti & Apocal. 3. ſupponitur verbis illis *qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ*. Monet autem ad pſalmi verba Auguſtinus. *Non ſic accipere debemus, quod quemquam ſcribat Deus in libro vitæ, & deleat illum. Si homo dixit, quod ſcripſi, ſcripſi, Deus quemquam ſcribit, & delet? præſcius eſt; prædeſtinauit omnes regnaturos cum filio ſuo in vita æterna hos, quos conſcripſit, ipſos continet liber vitæ*: communior, veroſimiliorque ſolutio eſt *deleri* eis locis tantundem, ac non ſcribi valere, vt ex Patribus tradunt Hilar. & Hieronym. ad pſalmi textum Anſbertus & Haimo ad textum Apocal. & alij apud Lorinum ad verba pſalmi, & Soar. 1. p. tract. 2. lib. 1. cap. 20. num. 18. Vazq. citato comment. 5. vlt. & Faſol. proxime, num. 4. §. *Hanc ob cauſam*. qui omnes eam interpretationem ſequuntur quam Pſalmiſta, ipſe ſubiunctis ſtatim verbis, *& cum iuſtis non ſcribantur* dedit, ne quis primis illis deciperetur. Et quidem odium Dei pro amoris negatione frequenter in ſcriptura vſurpari Patres, etiam Auguſtinus, obſeruant, tametſi primæua ſignificatione affectum poſitiuum ſignificet: quare miror Auguſtinum tantopere proprietate vocis deleo, & primæuæ ſignificationi citato loco inſtitiſſe, vt pro ſcribendi negatione ibi vſurpari fere non patiatur, vbi periphraſi à Pſalmiſta ſubiuncta ſatis ea ſignificatio traditur. Secunda interpretatio Patribus, & ſcholaſticis probabilis deleri toto rigore vſurpet, librum autem vitæ non, qui in Deo ſit, ſed vel in delendorum, aut aliorum de ipſis iudicio, & exiſtimatione intelligit. Sæpe enim ſcriptura hominum de re aliqua exiſtimationem rei ipſius nomine appellat, vt vidimus controuerſ. de incarnat. diſputantes an Chriſtus, vt homo proprietate ſermonis prædeſtinatus fuerit Filius Dei? quo ſenſu Paulam actor 13. *Illud ego hodie genui te*, Pſalm. 4. de reſurrectione Chriſti qua Dei Filius hominibus probatus fuit interpretatur verbis hiſce. *Reſuſcitans Ieſum ſicut ſcriptum eſt, ego hodie genui te*. Et iterum ad Rom. 2. *qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum*, vt docte Vazq. & nos plurimum ſcripturæ ſimili ſenſu locutionum obſeruabamus ibidem, idcirco hanc interpretationem amplexi ſunt Auguſtinus proxime, & Caſſidor. ex quibus gloſſa, commentator Apocalypſis Ambroſij operibus inſertus eoque iunior (vt probat Bellarmin. de ſcriptorib. Eccleſ. verbo *Ambroſius*) editione Romana an. 1585. Ricard. in Apocal. p. 2. c. inter med. & fin. Rupert. 4 in exod. c. 29. ante med. ex ſcholaſticis. Albert. 1. p. 69. m. 3. Bonau. in 4. d. 43. a. 2. q. 2. Argent. in. 3. q vni. a. 2. fine, neque improbat Vazq. à citato.

5. Illam tamen improbant Faſolus ad eundem articulum. n. 2. concl. 2. merito 2. quia Apocalypſis textus amplius

amplius aliquid innuit immediate ſubnectens, & *confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis Dei* apud quos de adſcriptis, vel non ſcriptis in vitæ libro nulla falſa à qua decidant tandem, exiſtimatio eſſe poteſt. Etſi Thomas eo a. 3. corp. his verbis, *non deleri de libro vitæ ponitur inter præmia iuſtorum: quod autem iuſtis repromittitur, non eſt ſolum in hominum opinione.* Eam quippe iuſti, etiam viatores naucifaciunt iuxta id pſal. 111. *In memoria æterna erit iuſtus ab auditione mala non timebit.* Nec temporale aliquid, cuiuſmodi falſa hominum exiſtimatio eſt, ad repromiſſa iuſtis præmia ſpectat, ſed ſolum quod eſt æternum. Scio nonnullos ex illis Sanct. Th. verbis *non eſt ſolum in hominum opinione* deducere ipſum ſecundam hanc interpretationem, vt coniunctam cum tertia iam ſubiicienda probaſſe, etſi ſolam improbauerit. Eſt autem tertia interpretatio de libro vitæ iuſtorum ad tempus ſolum talium pro quo ius ad vitam æternam habere præſciuntur, at proinde in Dei ſcientia ſcripti ſunt: à quo tamen peccato ſubſecuto perſeueranter delentur à Deo, præſcientiaque abſoluta damnationis ipſorum, in libro mortis ſimpliciter tali ſcibuntur: Hanc interpretationem dediſſe videntur Baſil. Iſai. 4. poſt med. Anſelm. in. 3. Apocal. Hugo Victor. q. 243. & 244. Ricard. in Apocal. p. 2. lib. 1. cap. 9. Ioachim. Abb. in Apocal. 3. vbi Lyra, & Perer. d. 7. §. 2. alijque interpretes, & ſcholaſtici, in quibus Ruiz. cita. ſect. 6. n. 6. §. *Prædictam expoſitionem.* Reiicienda tamen eſt quia vitæ liber nonniſi de abſolute ſaluandis, & prædeſtinatis, electiſque ex iure abſoluto ex perſeuerante iuſtitia finali ad gloriam in ſcriptura memoratur, vt vidimus docentque ſcholaſtici Albert. 1. p. quæſt. 68. init. ſanctus Thomas. q. 7. de verit. a 4. corp. ante med. & aliis locis citatis. Iuſti autem illi non perſeueraturi; in iuſtitia ius ad gloriam abſolute non habent, ſed conditionate ſolum, quare neque ad gloriam, & vitam abſolutè ex iure illo poſſunt ſcribi, nec vitæ ipſorum præſcientia eſſe, aut liber vitæ abſolutè talis, vt demum vidit Ruiz. num. 8. §. vt aliorum, quem his concludit ſolum habent ius (non perſeueraturi iuſti) *vt in libro vitæ ſcriberentur, ſi forent perſeueraturi.* Accedit quod ab eo libro vitæ conditionatæ pro eo tempore, quo iuſti ſunt, ſi perſeuerent (etſi liber vitæ dici abſolutè poſſet) nunquam nuſquamque delentur, deleriue vllatenus poſſunt, vt patet: quare *ni deleri*, pro *non ſcribi* ab ſcriptura accipi eis locis aſſeratur, iuxta primam expoſitionem, non autem propria deletione, & obliteratione eius, quod ſemel à Deo præſtitum abſolute atque ſcriptum eſt, Difficultas expediri minime poteſt.

## QVÆSTIO III.

### *De certitudine, & comparatione numeri prædeſtinatorum, ac reproborum.*

QVæſtio hæc de certitudine, numeri vtrorumque reſpectu ſcientiæ, & intellectus diuini ſolummodo procedit, cum enim certitudo formaliter dicat iudicij, ſiue in iudicando firmitatem, quæ omnem de oppoſito formidinem, & contingentiam cum obiectiuam, tum ſubiectiuam excludat: nemoque præter Deum, vel ex eius reuelatione, ſuæ adhuc, nedum aliorum omnium prædeſtinationis, aut reprobationis certitudinem, firmitatemue obiectiuam, aut ſubiectiuam, niſi temere ac per amentiam habere poſſit, fit planè vt ad diuinum intellectum, & ſcientiam de certitudine, & comparatione, numeri reproborum tota quæ-



ſtio deuolui debeat. Importune hic à Ruiz. d. 53. & Faſolus a. 4. cum certitudine numeri prædeſtinatorum de qua in præſenti, certitudinem prædeſtinationis quoad ſuos effectus à prædeſtinatis obtinendos coniungunt, & vnde illorum infallibilitas proueniat, & cum eorum contingentia, & prædeſtinatorum libertate componatur: id enim quæſtionis alterius, & ex aliis principiis dirimendæ prorſus eſt: nempe ex principio ſcientiæ mediæ prædeſtinationem dirigentis & conſtituentis, atq; ex intentionali obiectiua depēdentia ſcientiæ illius à libera prædeſtinati abſoluta operatione, & conſenſu, vt ſuo loco vidimus ſupra atque hi authores docuerant non ſemel. Poteſt autem de certitudine numeri vtrorumque vniuerſim agi, & ſpecialius de numeri quantitate, & vtriuſque numeri comparatione.

## CERTAMEN I.

### *Affirmatiua quæſtionis vniuerſim ſumptæ deciſio.*

1 NVmerus in formalem, ſeu numerantem, vt ternarius, centenarius, & in materialem, ſeu numeratum reſue, quæ numerantur communiter diuiditur. Et de numero numerato præſentem quæſtionem procedere certum vtique eſt: nempe quem, an numerum numerantem aliquem, prædeſtinati homines (idemque eſt de Angelis, determinate expleant, an etiam ſuum aliquem numerum determinate expleant reprobi? cum autem numerus omnis numeratus determinatis, & circunſcriptis rerum numeratarum vnitatibus adeo rigide conſtet, vt quauis ex eis addita, vel ſubtracta numerus idem nequeat conſiſtere, fit ad numeri reproborum, vel prædeſtinarorum (quicumque ille in alterutris ſit) certitudinem ac firmitatem conſtantiamque requiri, vt nemo ad alterutrum numerum ſpectans ab illo deficiat, ad alterumque accedat, cuiuſuis enim detractione numerus idem conſiſtere nequit: vti cuiuſuis etiam additione numerus idem non poteſt, permanere: v. g. ſi ternario altera ex tribus vnitatibus, quibus conſtat deficiat binarius plane, non ternarius erit; ſin vero altera vnitas accedat, non ternio numerus ille erit, ſed quaterno. Inde autem fit ſecundo certitudinem numeri alterius reſpectu induci infallibilis Dei requirere, vt nemo ad alterum numerum ſpectans ab eo poſſit deficere, ad alterumque aliqua impotentia (nempe conſequente, & ex ſuppoſitione quod ſemel reprobus, vel prædiſtinatus ſit) ſaltem accedere nequeat. Certæ huic ſuppoſitioni, & euidenti aduerſari videtur Catherinus. 1. de prædeſt. c. vlt ſummaria explicatione doctrinæ aſſerens, quantum eſt ex vi prædeſtinationis, præſcientia ſecluſa, ſaluandorum, damnandorumque num. poſſe angeri, ac proinde inquit Ruiz, ex prædeſtinatis ad reprobos, atque ex reprobis ad prædeſtinatos eſſe poſſe tranſitum docet: quare vtrorumque numerum certitudinem firmitatemque abſolute non habere, ſed tametſi Chatherinus prædeſtinatorum numerum, non ſatis firmo fundamento nimium decurtauerit, vt de eſſentia prædeſtinationis, eiuſque cauſis oſtendimus. Quoad numeri tamen ſertitudinem, & firmitatem citato loco non errauit. Solum enim vult prædeſtinatione, ac reprobatione antecedentem neceſſitatem prædeſtinatis, vt ſaluentur, reprobiſque, vt damnentur, non induci, non autem negat ipſis conſequentem neceſſitatem afferri, ratione cuius ſcientiam ſecludit, quæ impotentiam conſequentem ſupponit: vnde male à Ruiz tanquam Catherini doctrina additur, à prædeſtinatis ad reprobos, & contra tranſitum eſſe poſſe abſolute, ac viciſſim, quem expreſſe Catherinus negat, quia ex ſuppoſitione, quod prædeſtinatus quis, vel reprobus ſemel ſit, talis non eſſe minime poteſt.

2. Dico primò : Numerus non ſolum formalis,
& numerans , ſed materialis , & numeratus ( qui-
cumque , ſeu quantuſcumque ſit ) tam prædeſtinato-
rum , quam reproborum conſtans firmus certuſque
Deo tam ſubiectiue , quam obiectiue eſt , vt nemo
ex alterutro numero contentis ſemel , ab illo de-
trahi poſſit , atque ad alterum tranſire. Eſt do-
gmatica Patrum , & Catholicorum omnium Docto-
rum concluſio contra errorem Auicennæ ſub meta-
phyſicæ finem , Ægyptiorum , & Stoicorum relato-
rum à ſancto Thoma. quæſt. 6. de verit. a. vlt. corp.
& 1. part. quæſt. 23. art. 8. aſſerentium diuinum
de vnoquoque fatum , ſeu prouidentiam , & decre-
tum inclinato per orationes , ſacrificia &c. paccato-
que numine in oppoſitum flecti mutarique poſſe , qua-
re,& ex prædeſtinato in reprobum tranſire. Hunc etiam
tranſitum ex libertate prædeſtinatorum , ac reprobo-
rum erroneè etiam docuerunt Maſſilienſes ( vt con-
ſtat ex epiſtolis ad Auguſtinum proſperi poſt med.
& Hilarij col. 3. ) & Calderinus in Pſalmum Mi-
ſerere lect. 23. Probatur concluſio ex verbis Ioan. 10.
*Bonus paſtor proprias oues vocat nominatim* &c. ad
quæ ſic Auguſtinus. tract. 45. in Ioan. col. vlt. *quis
alius oues proprias vocat nominatim , & educit eas
hinc ad vitam æternam , niſi , qui nouit nomina
prædeſtinatorum ? vnde ait diſcipulis : gaudete , quia
nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Hinc enim eas
vocat nominatim.* Clarius Ioannes ipſe infrà. *Ego co-
gnoſco eas , & ſequuntur me , & non rapi. Et eas
quiſquam de manu mea,* &c. Ad quæ etiam Auguſt.
tract. 48. ante med. quid poteſt fur , & latro ? non
*perdunt , niſi in interitum prædeſtinatos. De illis au-
tem ouibus de quibus dicit Apoſtolus ; nouit Dominus,
qui ſunt eius : & quos præſciuit ipſos & prædeſti-
nauit &c. de ouibus iſtis , nec lupus rapit , nec la-
tro interficit : ſecurus eſt de numero earum.* Proſper.
2. de vocat. gent. cap. 29. ſub init. *Quod Pater Fi-
lio dedit , Filius non amittit : nec quiſquam poteſt
de manu eius rapere , quod accepit. Firmum funda-
mentum Dei ſtat , & manſuri in æternum templi
ædificatio non vacillat.* Hoc vero , & poſtremo Au-
guſtini teſtimonio aliud tangitur ex 2. ad Timoth.
2. ibi *firmum fundamentum Dei ſtat , habens ſigna-
culum hoc cognouit Dominus , qui ſunt eius* : quod
ex littera , & contextu ad rem hanc iterum inter-
pretatur Auguſtinus de corrept. & gra. cap. 7. & 5.
de baptiſmo contra Donatiſtas. cap. 27. *Numerus il-
le iuſtorum , qui ſecundum propoſitum vocati ſunt
( de quibus dictum eſt , nouit Dominus , qui ſunt
eius ) ipſe eſt hortus concluſus , fons ſignatus.* Demum
numerum prædeſtinatorum defectum pati imminui-
que non poſſe docet Auguſtinus idem epiſt. 106. ad
Bonifac. col. 9. de corrept. & gra. capit. 13. init.
de bono perſeuer. capit. 8. circa med. ac iterum proſ-
per cit. capit. 29. poſt med. & cap. 33. inter med.
& fin. alijque Patres & interpretes ad loca recitata at-
que ac illum Ioan. 14. in domo Patris mei manſiones
multæ ſunt. ad qnem Nazian. orat. 331. de Theo-
log. num. 28.

3. Et quamuis de firmitate ac certitudine , cum
ſubiectiua tum obiectiua numeri reproborum , & in-
tranſibilitate eorum ad prædeſtinatorum numerum
expreſſa , frequens adeo apud ſcripturam , & Pa-
tres concluſio non ſit tamen à certitudine numeri
prædeſtinatorum , & eorum , adhuc vnius , ad nu-
merum reproborum intranſibilitate euidens adeo con-
ſequentia eſt vt à Catholico Doctore negari nuſ-
quam poſſit. Auguſtinus tamen de prædeſtinatorum
numero , eiuſque certitudine definiens verbis illis.
*Ipſe eſt hortus concluſus , fons ſignatus* , de reprobo-
rum etiam numero eiuſque certitudine in defectibili-
tate , ac neminis ab ipſo ad alium prædeſtinatorum
tranſmigrabilitate ſimul definiuit : ſiquidem horti ſeps,
& clauſura , fontiſque ſignaculum , æque prohibet
aliorum de foris in illos ingreſſum , atque illis in-
cluſorum egreſſum , & de corrept. & gra. capit. 13.
init. non ſolum ad prædeſtinatorum numerum mi-
nui poſſe negat , ſed & addi *de iis , qui , cum an-
nunciaſſet , & locutus eſſet , multiplicati ſunt ſuper
numerum* , reprobis nempe. Proſper etiam de vocat.
gent. capit. 33. inter med. & fin. ſcribens. *In qua
electione , quidquid hominum in Chriſto præcognitum
non eſt , nulla eidem ratione ſociabitur.* Omnes enim,
*qui in regnum Dei de cuiuſlibet temporis vocatione ven-
turi ſunt , in ipſa , quæ ſæcula cuncta præceſſit , ado-
ptione ſignati ſunt. Et , ſicut nullus infidelium in hac
ſorte numeratur , ita nullus piorum ab hac ſorte diſ-
cretus eſt.* Idem nos docuit Abraham Lucæ 16. ra-
tione poſtrema ob quam diuiti Epuloni Lazarum pe-
tenti negauit. *Et in his omnibus* , ait , *inter nos , &
vos Chaos magnum firmatum eſt : vt hi , qui vo-
lunt hinc tranſire ad vos non poſſint , neque inde huc
tranſmeare.* Clarius adhuc concilium Valentinum ſub
Leone 4. capit. 3. ad rem præſentem ſcripſit. *Apud
Deum , vt ſanctus Auguſtinus ait , de omnibus omni-
no rebus tam fixa ſententia , quam certa præſcientia.
Ad hoc ſiquidem facit Sapientis dictum* ( prouerb. 19.
de reprobis ) *parata ſunt deriſoribus iudicia , &
mallei percutientes ſtultorum corporibus. De hac
immobilitate præſcientiæ , & prædeſtinationis* ( id eſt
præordinationis cuiuſuis erga creata ) *Dei , in
quam apud Deum futura iam facta ſunt , apud Ec-
cleſiaſtem bene intelligitur dictum : cognoui , quod
omnia opera , quæ fecit Deus , perſeuerent in perpe-
tuum.*

4. Ratio , quoad obiectiuam certitudinem nume-
ri vtrorumque materialis , & numerati ( ex quo etiam
numeri vtrorumque formalis , & numerantis ſeu di-
uini de vtroque numero iudicij obiectiua , & ſubie-
ctiua certitudo euidenter infertur ) euidens eſt. Quis im-
plicat aliquem ex prædeſtinatis ex ſuppoſitione, quod
prædeſtinatus ſit , vel ex reprobis ex ſuppoſitione,
quod ſit reprobus prædeſtinatum , aut reprobum
non eſſe. Non ſolum ex neceſſitate eſſendi quidquid
eſt , quandiu eſt , ſed ex diuinæ voluntatis conſtantia,
& immutabilitate , ex qua , etſi eius decreta æterna,
& totius ſimul durationis de ſeſe , ac natura ſua non
eſſent , ſed tempore inciperent durationeque pariter
ſucceſſiua durarent ſemel habita deficere non poſſent,
ſed æternitate à parte poſt neceſſario perſtarent : ne
vel ignorantiæ , vel leuitatis animi Deus argueretur.
Idcirco deuteronom. 23. Dicitur Deus non eſſe vt
*filius hominis , vt mutetur* , vel iuxta. 1. Reg. 15.
*pœnitentiam agat.* Quare Malach. 3. de ſe ait. *Ego
Dominus & non mutor.* Hac ſtatuta maiore propoſi-
tione certa ex fide , atque ex ratione euidente , certam
etiam minorem ſubiungo. Atqui tam prædeſtinati,
quam reprobi omnes , hi determinati , & ſingulares,
non autem hi vel illi diſiunctim prædeſtinati , vel re-
probati à Deo ſunt , nec plures , nec pauciores , vt ſu-
pra demonſtrauimus : ergo neceſſe eſt hos in ſingula-
ri , totque , nec pauciores , neque plures prædeſti-
natos eſſe , totque in ſingulari nec plures , nec
pauciores reprobatos , aut reprobos eſſe : ergo ali-
quem ex eo numero tam prædeſtinatorum , quam re-
proborum deficere , atque ex alterutro ad alterum
numerum tranſire eſt impoſſibile. In eo autem ſtat
numeri numerati , ſeu materialis , tam prædeſtina-
torum , quam reproborum obiectiua immobilitas
firmitas , ac certitudo , vt nequeat aliquis eorum à
ſua ſorte deficere , atque ad aliam tranſire : ergo nu-
meri tam prædeſtinatorum , quam reproborum , nu-
merati , ac materialis obiectiua firmitas , & certitudo
adeſt , atque euidenter demonſtratur : Hinc Ægy-
ptiorum Stoicorumque delira fundamenta euaneſ-
cunt.

5. Apparentiora vero illa Maſſilienſium , & Cal-
derini è prædeſtinati , reprobique libertate petita ſi-
militer diſparent. Ea enim ſolum probant præſcientiæ
mediæ , & ſubinde prædeſtinationis per eam conſti-
tutæ , in ſui abſoluta pro ſuo ſigno poſitione obiecti-
uam intentionalem ab eorum abſoluta libertate de-
pendentiam pure materialem , nec motiuam , & me-
ritotiam , vt ſupra oſtendebamus. Inde autem non
fit, vt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſit, vt ex ſuppoſitione, quod quis ſemel prædeſtinatus vel reprobus ſit, pro ſua libertate poſſit ab alterutra ſorte reſilire, atque ad alteram migrare, ad quam nuſquam poteſtas libertatis ſuæ ſe extendit; ſicut nec ex ſuppoſitione conſenſus ſua libertate abſolutè poſiti, illum omittat, vel diſſenſum admittat: vtraque enim poteſtas ad contradictoria coniungenda, quare, & chymærica poteſtas foret. Quo circa, etſi illa Apocalypſ. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* & 2. Petri. 2. *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis* craſſe nec germano à nobis ſupra, & ſæpe dato ſenſu intelligantur certitudinem prædeſtinationis quo ad effectus ſuos, & operum bonorum, & gloriæ vt cumque impugnarent, non autem quoad numeri prædeſtinatorum certitudinem, quam in præſenti defendimus, & demonſtrauimus. Sicubi autem Deus decreta mutare, ac de ſemet à ſe conceptis pœnitentiam agere inſinuari ab ſcriptura videtur, vt Ierem. 18. Ionæ. 3. Iſaiæ 38. non de eodem omnino obiecto, in re, tempore, circunſtantiis, & modo abſoluto à Deo habitis decretis intelligenda ſunt: quare neque ex defectu conſtantiæ, & æternitatis, qua neceſſario Dei decreta ſimul, ſemelque durant euidens concluſionis noſtræ ratio eis teſtimoniis nutare.

6. Aliunde vero ex proximis Apocalypſis verbis, *tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Ratio noſtra videtur poſſe impugnari, quo ad numerum numeratum, & materialem. Etſi enim numerus numerans, verbi gratia, centenarius, vel millerius, prædeſtinatorum certus, firmuſque, cum obiectiue tum ſubiectiue Deo ſit, aſt prædeſtinati eum explentes in particulari certi ex eius numeri conſtitutione diuina non ſunt, alioqui, quo pacto in locum vnius alius ingredi poſſet, vt eis verbis inſinuatur? ergo numerus ille numerans centenarius determinatus, nec maior nec minor ſaluandorum prædeſtinandorum decretus à Deo omni prorſus certitudine, ac firmitate eſt, ij vero quibus in particulari explendus eſt, ſub diſiunctione ſolum, hi nimirum vel illi: quare ea ex parte minor probationis noſtræ nutat. Placet cogitatio, & intelligentia eius teſtimonij noſtro Ruiz de Montoia, ſectione quarta, quam etiam confirmat primo. Quia Sapientis Architecti peritia eſt prius manſiones vel ædificia tot vrbis diſponere, quam hos vel illos incolas deſtinare. Secundo ex Gregorio. vigeſimoquinto moral. capite decimo ad id Iobi. 34. *conteret multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis* ita ſcribente. *Quo electorum numerus certus, ac definitus oſtenditur*: numerans quidem non numeratus, vt patet. Conſonat Auguſtinus de corrept. & gra. capite decimo tertio ſub init. ad illa Baptiſtæ Matthei tertio, *Facite dignum fructum pœnitentiæ, & nolite dicere apud voſmet ipſos, habemus patrem Abraham: potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Sic ſcribens. *Vt non deſit numerus, qui promiſſus eſt Abrahæ.* Ac ſtatim verbis Apocalypſis recitatis confirmans ait. *Si enim alius non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit, certus eſt numerus*: ita etiam ex eo loco inferre dicuntur Primaſius, Beda, Rupert, Haymo, Lyra, & alij. Singularem hanc cogitationem, & interpretationem ita reieci. diſputatione 2. quæſtione tertia. cert. ſecundo, numero ſeptimo, vt vlteriore impugnatione opus non habeant. Exemplum Architecti nil probat: multo enim peritior eſſet, ſi habitatorum vrbis qualitatibus conditionibus, muneribuſque ſingulariterque præcognoſcit pro eis vnicuique & ſingulis eorum domus, & manſiones accommodatiſſimas ædificaret. Ea vero præſcientia, & peritia vltra creatam architecturam eſt, ac diuinæ in cœleſtis Hieruſalem ſtructura reſeruata: præterea ad rem præſentem craſſum valde exemplum eſt, & aptatu impoſſibile: cum gloriæ manſio actus vitalis viſionis fruitioniſque Dei ſit, vnicuique ita proprius, & eſſentia ſua affixus, vt alterius eſſe repugnet, vt citato loco dicebamus. Patres ex anteriore præfinitione numeri numerantis prædeſtinatorum ſaluandorumque ſubſtitutione aliorum pro decidentibus ab eo numero, in quo antea fuerint, numerum numerantem ſeruari minime docent, ſed ex gratuita miſericordia aliquorum præ aliis qui æque prædeſtinari eligique ſubinde ad gloriam poſſent. Quod ſi præfato aduerſo ſenſu Iobi, & Gregorij teſtimonia intelligantur tot erunt prædeſtinati, quot reprobi contra ipſum Ruiz, & veritatem: quin granum ſalis, quo abſurditatem hanc temperare, voluit ipſe numero ſeptimo; §. id autem indiget eam in bonum ſaporem poſſit condire.



---

## CERTAMEN II.

### *De numeri vtriuſque quantitate, & comparatione.*

1 QVem quantumque numerum determinatum expleant ſiue prædeſtinati, ſeu reprobi è ſola Dei (cui exploratiſſimus vterque numerus eſt) reuelatione: quæ nullatenus extat, poſſet nobis innoteſcere, ac citra temeritatem definiri: quare circa vtriuſque numeri quantitatem id ſolum diſputari corda te à nobis generatim poteſt, magnuſne ſiue prædeſtinatorum, ſiue reproborum numerus, an alterutrorum numerus ſit exiguus: poteſt autem vtrorumque numerus tam ex Angelis, quam ex hominibus vel coniunctim ſumptis, vel ſeorſim, & ſeparatim acceptis compoſitus conſiderari, ſiue de numero prædeſtinatorum, ſiue de reproborum numero agatur: ſub qua etiam diuerſitate acceptionum numeri prædeſtinatorum, ac reproborum diſputandum etiam eſt, cum de vtriuſque numeri, quoad magnitudinem, & quantitatem, comparatione agamus, vt debita claritate & diſputatio, & deciſio procedant. Et vtrumque numerum, ex Angelis, & hominibus tam prædeſtinatis, quam reprobis conflatum magnum eſſe, & valde magnum prima noſtra, ac certa concluſio ſit. Probatur facile, quia vterque numerus ex Angelis ſolis, & ex puris hominibus ſeu prædeſtinatis, ſeu reprobis conflatus magnus eſt: ergo vterque numerus ex vtriſque compoſitus valde magnus erit: ſiquidem numerus ex duobus magnis numeris conflatus nequit non magnus valde numerus eſſe: antecedens certum eſt, vt concluſione ſecunda, & tertia patebit.

2. Dico ſecundo numerus vterque ſeu prædeſtinatorum, ſeu reproborum Angelorum ſeorſim ab hominibus ſumptorum magnus numerus, & valde etiam magnus abſolute eſt. Quoad numerum reproborum Angelorum, ſiue Dæmonum probatur. Quia numerus, & multitudo Angelorum omnium à Deo creatorum innumerabilis, ac pene infinita eſt: atqui tertia eorum pars reproborum Angelorum, ſeu dæmonum eſt, vt conſtat ex Apocal. 12. numero quarto vbi draconis cauda *tertiam partem ſtellarum cœli* traxiſſe dicitur, & numero nono draconem de quo loquitur explicat. *Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt in terram, & Angeli eius* (quos ſtellarum nomine vocauerat) *cum illo miſſi ſunt*: ergo reproborum Angelorum numerus magnus valde eſt: innumeræ ſiquidem multitudinis pars tertia ma-

gna valde multitudo, & numerus eſt Quod autem omnium Angelorum multitudo innumera, ac pene infinita ſit. Conſtat primo, quia infimæ, & minimi numeri hierarchiæ Angelorum multitudo totam hominum præteritorum, futurorumque multitudinem duplo vt minimum ſuperat cum horum ſingulis ſinguli Angeli ſint deputati cuſtodes ex iis qui in bono perſtiterunt: cum autem infimæ hierarchiæ Angeli minus perfecti, & ſapientes natura ſua ſint, ac de ſe proinde ſeductioni, & vitio aptiores: dimidiam reproborum partem ex Angelis hiſce fuiſſe prudenti, vero ſimiliori, & connaturaliori ratione cenſendum eſt: cum autem pro hierarchiarum ſuperioritate valde eorum numerum augeſcat, vt communiter Theologi cenſent, quantus Angelorum creatorum ad totas nouem hierarchias ſpectantium numerus erit? Hinc quam maxima reliquorum Angelorum prædeſtinatorum multitudo demonſtratum; cum ex eo textu ſit multitudine reproborum duplo maior. Secundo quia bonorum, ſeu prædeſtinatorum Angelorum numerus præ ſui multitudine innumerabilis ab ſcriptura aſſeritur Iob. 25. *Numquid eſt numerus militum e*[illegible]? Daniel ſeptimo 10. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millium aſſiſtebant ei.* & Apocalypſis quinto *numerus* Angelorum Dei throno aſſiſtentium *millia millium* eſſe dicitur. Quo loquendi modo rerum innumerabilis multitudo ſignificatur.

3. Dico tertio: prædeſtinatorum reproborumque hominum numerus valde etiam magnus eſt, de prædeſtinatis conſtat. Primo ex Geneſ. vigeſima ſecunda vbi Deus ad Abraham. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris, & Ierem. trigeſimo tertio. Sicut dinumerari non poſſunt ſtellæ cœli, & metiri arenæ maris, ſic multiplicabo ſemen Dauid ſerui mei.* Quæ de ſpiritali filiorum vtriuſque propagatione, qui ex lapidibus, aiebat Baptiſta nuper ſuſcitari ipſis à Deo poſſunt intelligenda præcipue, & intellecta à Patribus ſunt: ſcilicet de prædeſtinatis atque ex fide viua, ſicut Abraham ſaluandis. Apocal. 7. *Vidi turbam magnam, quam denumerare nemo poterat ex omnibus gentibus ſtantes ante thronum.* pſalm. 138. *Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur* & Mattheo octauo. *Multi ab Oriente, & Occidente ſurgent, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum.* Probatur ratione, quia Chriſtum pro omnium ſalute incarnatum totque duriſſima, & ignominioſiſſima crucem etiam, & mortem perpeſſum, pauculos ſolum homines ſaluari, reliquis innumeris perditis dedeceret. Secundo quia ex prædeſtinatis hominibus, reparandus ſit, & numerus, & ſedes, ad quas lapſi Angeli ibant, directique per Dei ſufficientem gratiam fuerunt, etſi non peruenerint: ac proinde tot ſaltem homines prædeſtinati ſunt, quot ſunt Angeli reprobi, iuxta intelligentiam communem: quare cum tanta ſit creatorum à Deo Angelorum multitudo, quantam proxime diximus, eiuſque tertia pars perierit: quam maximus prædeſtinatorum hominum numerus euincitur: ſed me quidem iudice non totus reproborum Angelorum numerus erit ex prædeſtinatis ad calculum implendus; ſed quouſque horum numerus pro cuiuſque meritis pertingat, qui tamen magnus numerus erit. Quod autem reproborum hominum magnus valde numerus, & innumerus ſit, facilius adhuc probatur. De eis enim vel maxime proloquium verum habet. *Stultorum infinitus eſt numerus*, & Pſalm. 39. de eis dicitur: *Multiplicati ſunt ſuper numerum.* Huc etiam faciunt omnia, quæ de comparatione numeri prædeſtinatorum reproborumque hominum dicemus cert. 3.

4. Dico quarto: comparatione facta collectionis omnium prædeſtinatorum, & reproborum omnium, tam ex Angelis, quam ex hominibus compactæ maior longe prædeſtinatorum, quam reproborum numerus eſt. Probatur facile ex dictis. Quidquid enim ſit de numero prædeſtinatorum, ac reproborum ad purum ex hominibus conflati comparatione quoad magnitudinem vel paruitatem cum omnium Angelorum numerus omnium hominum numero immenſum pene, nec ſolum ter excedat, ac ſola tertia illorum pars reprobis conſtet, & ſi vnus ſolum vel alter homo, Prædeſtinatis Angelis, duplo quam dæmones, ſeu reprobi Angeli pluribus collectionem prædeſtinatorum ex Angelis, & hominibus conflatam collectioni reproborum ex vtraque natura numeri magnitudine, & quantitate excedere euidentiſſimum eſt. Accedit numerum prædeſtinatorum Angelorum infimæ hierarchiæ ex qua ſola cuſtodes omnibus, & ſingulis ſinguli cuſtodes deputantur; numero omnium prædeſtinatorum, reproborumque hominum coniunctim ſumptorum vt minimum æquari: cum tamen abſolute loquendo plures ex omnibus reprobi, quam prædeſtinati citra controuerſiam ſint; quod valde prædeſtinatorum Angelorum numerum auget: quare, & numerum prædeſtinatorum ex ipſis, & hominibus collecti. Porro huius concluſionis probatione numerum Angelorum prædeſtinatorum numero reproborum dæmonum adeo eſſe maiorem; vt huic duplo excedat manifeſtum eſt: quare neque id concluſione & probatione ſeparatim additis opus habet.

---

## CERTAMEN III.

### *De comparatione numeri prædeſtinatorum ac reproborum ad purum ex hominibus coacti.*

1 RES hæc niſi multiplici collectionis hominum omnium diuerſitate præmiſſa claritate debita, & probabilitatis fundamento aliquo nequit definiri. Prima ergo collectio ex omnibus hominibus tam fidelibus tam legis naturæ, ſcriptæ, & gratiæ, quam infidelibus eſſe, conſiderarique ad rem præſentem poteſt, & hominibus quidem tam infantibus ante rationis vſum, quam adultis obeuntibus. In qua acceptione dicendum eſt numerum reproborum, numero prædeſtinatorum longe ac longiſſime eſſe maiorem. Eſt concluſio omnibus Doctoribus Catholicis certa. Probatur: quia innumerabilior, infidelium, quouis triplicis illius legis tempore, quam fidelium turba eſt: & infideles omnes, tam adulti, quam paruuli obeuntes ad reprobos ſpectant. Addo collectione ex adultis fidelibus & infidelibus facta (*paruulis vtrorumque ſeclusis*) adde rationem pro additamento ſecundo ex ſancto Thoma producendam. Ampliorem etiam eſſe numerum reproborum. Probatur primo ratione ſimili. Quia infideles adulti plures multo fidelibus ſunt, ac reprobi omnes: cum tamen non omnes adulti fideles ſint prædeſtinati. Addo etiam iuxta collectionem hanc, ex fidelibus & infidelibus factam numerum infidelium reproborum adultorum maiorem eſſe numero fidelium prædeſtinatorum ex paruulis, & adultis omnibus conſtante. Ratio eſt quia illorum numerus infidelium, fidelibus cunctis paruulis, & adultis præualet: ac inſuper ex fidelium paruulis, quos addimus, multi valde in lege etiam ſcripta, & lege gratiæ ſine circumciſione, ac ſi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ac ſine baptiſmo deceſſere, ac decedent. Pro his tribus concluſionibus facit ratio, Sancti Thomæ prima parte, quæſtione vigeſimatertia, articulo ſeprimo, petita ex indignitate naturæ humanæ, quam lapſam iam in Adamo: immò, & in ſe ipſa (Deipara excepta) in cuiuſque prædeſtinatione, ac reprobatione Deus ſuppoſuit: etſi enim Dei bonitas meritis etiam Chriſti ſolicitata ad plures prædeſtinationem quam reprobationem: immò ad omnes etiam homines, & ex genio, vt ſic dicam, ſuo, & ex tantorum meritorum ſufficientiſſimo motiuo extendere poſſet: cum tamen vtrumque adhuc, ipſum ad aliquem, nedum ad plures, ex hominibus prædeſtinandos minimè cogant, omnium hominum dignitas, vt non prædeſtinentur, ſed reprobentur adſit, ac diuinæ menti anterius natura ad electionem alterutram oberret, bonitati ſuæ, & Chriſti meritis non parum dedit, cum tantam maſſæ corruptæ, ſibique inſenſæ partem prædeſtinauit, etſi reprobata maſſæ eiuſdem parte longe minorem.

2. Et quidem Dei bonitas ad beneficia maior propenſio re integra, vt ſic loquar, & de ſe ſe ſolum conſiderati credenda eſt, non autem poſitio ex parte noſtri peccato: tunc enim non minus ex iuſtitia ſua ad ſupplicia, quam de ſe ad veniam inclinat in negotio vero reprobationis voluit de facto ex reproborum numero maiore voluit apertius nobis innoteſcere, ac ſimul ſummam prædeſtinatis erga ipſos amorem benignitatem, ac beneficentiam ſuam, cum non ſolum nullo merito bono, ſed merito à Deo malo, ob quod reprobatio cunctis debita erat, & ergà adeo plures ex eis exercita à Deo fuit ſe à Deo videant prædeſtinatos, ac ſubinde, & æternum, & ardentius ipſi gratias habeant, laudeſque inſonent, ac rependant quod enim frequentius, & vt plurimum euenit ex naturæ debito fieri reputatur: Ita, ideoque à Deo factum Iſaias docet capite 24. atque ſubiuncto exemplo ſimul confirmat ſcribens. *Quomodo ſi paucæ oliuæ, quæ remanſerunt* (reliquis perditis) *Excutiantur ex olea, & racemi, cum fuerit finita vindemia hi leuabunt vocem ſuam, atque laudabunt,* &c. *Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum:* Eandem rationem illis ad Roman. 9. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram*, &c. Commentariis ſuis Beda, Ambroſiaſter, Anſelmus, & alij contineri volunt. Sanctus Auguſtinus item quæſtione 23. in Exodio epiſt. 106. columna 8. de prædeſtinatione Sanctorum, capite 8. ſed elegantius, preſſiuſque 21. de ciuitate capite 12. circa finem, *in qua* (pœna damnationis) *multo plures, quam in illa* (gratia, & miſericordia efficacis Redemptionis) *ſunt: vt ſic oſtendatur, quid omnibus deberetur*, & epiſtola 157. ad Optatum verſus med. hanc etiam rationem adiungit. *Atque, vt hinc quoque intelligant, qui ex ipſa damnatione redimuntur, hoc fuiſſe debitum maſſæ illi vniuerſæ, quod tam magnæ parti eius redditum cernerent*: ſtat pro concluſionibus hiſce, maximè pro prima, & præcipua, cui alias adiunximus illud Eſdræ 4. *Hoc ſæculum fecit Altiſſimus propter multos, futurum autem propter paucos*, ſubinferius: *Dabit tibi terram multam, vnde fiat fictile; paruum autem puluerem, vnde aurum fit: ſic & actus præſentis ſæculi. Multi quidem creati ſunt; pauci vero ſaluabuntur.* Eſt autem liber hic ſummæ infra Canonicos authoritatis. Denique Apocalypſ. 20. prædeſtinatorum ſaluandorumque, ſeu vitæ liber vnus eſſe dicitur, reliquorum multi, quaſi reprobos præ eorum multitudine libri plures non capiant.

3. Dico ſecundo habita ſolum ratione prædeſtinatorum reproborumque hominum fidelium, tam ante quam poſt rationis vſum obeuntium in Eccleſia Dei legis naturalis antiquæ, vel Chriſtianæ prædeſtinatorum, quam reproborum eſt numerus maior: ita noſter Lorinus ad id Pſalmi 138 verſu 14. *Dinumerabo eos*, &c. Soarez 3. de prædeſtinatione capite tertio, Ruiz de Montoya ſupra ſectione prima, numero quinto, valde in eam inclinat quibus adde Doctores iam citandos pro ſententia affirmante maiorem numerum adultorum fidelium prædeſtinatorum, quam reprobatorum, cum tamen ei numero ingens copia infantium per Baptiſmum, circumciſionemve Eccleſiæ Fidelium adſcriptorum, atque originali è luto ante vſum rationis obeuntium, & prædeſtinatorum qui numerus amplior valdè, quam prædeſtinatorum fidelium adultorum plane eſt: inde probatur concluſio; quia, etſi reproborum fidelium numerus maior, quam adultorum etiam fidelium prædeſtinatorum ſit, paruulorum horum prædeſtinatorum acceſſu, quorum tantam eſſe copiam quotidie videmus, exceſſus ille adultorum fidelium reproborum, non ſolum æquatur, ſed exceditur. Secundo: quia nihil in ſcriptura, aut Patribus eſt pro maiori reproborum, quam prædeſtinatorum numero quod non ſit, vel de collectione omnium hominum tam fidelium, quam infidelium, vt conſtat ex datis locis pro concluſione prima, vel de collectione fidelium adultorum ſolum, vt conſtabit ex locis pro tertia noſtra concluſione producendis: quare pro indulgentiore Dei miſericordia, & prouidentia incertum fidelium ſuorum beneficentiore ſtare iudicium noſtrum debet: vt plures ex eis prædeſtinaſſe, quam reprobaſſe cenſeamus.

4. Dico tertio: ex fidelium omnium collectione plures reprobati ſunt, quam prædeſtinati: concluſioni huic expreſſe aduerſantur, & contradicunt Syluester tractatu ſecundo in Euangelio ſeptuageſ. & prima parte conflatorij quæſtione 23. articulo 8. ad 2. Carthagena diſcurſu 10. de prædeſtinatione dubio penultimo aduerſariique etiam referuntur Franciſcus à Chriſto. in 1. d. 40. & 41. quæſtione quinta de reprobatione, ſed tamen de Eccleſiæ fideliumque omnium cætu loquitur paruulis baptiſatis non excluſis. Soarez etiam refertur vbi proximè, qui tamen non ſolum baptiſatos paruulos non excludit, ſed expreſſe includit: quare vterque pro ſecunda noſtra concluſione ſtat, quin tertiæ huic vllatenus aduerſetur. Hanc vero tertiam concluſionem tradunt expreſſe in caput 20. & 26. Matthæi ad verba illa: *Pauci vero electi.* Caietan. in capite vigeſimoquinto, Matthæi ad parabolam de Virginibus, vbi & Lyranus, Arboræus 4. Theoſophiæ, capite 20. Maldonatus ad verſum 14. Matthæi 22. Molina prima parte, quæſtione 23. articulo ſeptimo, concluſione ſeptima. Ruiz citata d. 54. ſectione prima, numero decimoſexto, concluſione 2. 3. 4. 5. Scio noſtros Vaſquez d. 101. capite quarto, & Faſolum ſupra numerum ſeptimum, rem hanc iudicio noſtro indefinibilem, ac Dei iudicio reſeruandam cenſere: ſed tamen Deus ſatis iudicium ſuum pro noſtra concluſione aperuit, eámque plus libito noſtro euentus ipſe rerum, & naturalis ratio confirmauit. Primum probo ex Veteri Teſtamento, in quo figurate traditur frequentiſſime, vt videre licet in Ruiz noſtro locis citatis. Pauca ſubdo à Nouo Teſtamento in hanc ſententiam explicata. Primum ſit ex arca Noë: *In qua* (1. Petri capite tertio) *Pauci, id eſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam*: pergit. *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed bonæ conſcientiæ interrogatio in Deum.* Quæ Sanctus Auguſtinus 5. de Baptiſmo contra Donatiſt. capite 18. His interpretatur. *Quæ propter, ſicut apparet, homines in vnitate Catholica Baptizati, qui ſæculo ſolis verbis, non factis, renuntiant, quomodo pertinent ad huius arcæ myſterium, in quibus non eſt conſcientiæ bonæ interrogatio?* Hæc vero reſpectu adultorum fidelium locum tantummodo habent. Horum etiam typus erant ſexcenta illa peditum millia Exodi 12. Ægypto egreſſorum ex quibus duo ſolum Chaleb, & Ioſuë terram promiſſam, ad quam omnes ibant, ſunt ingreſſi numerorum 14. De quo Paul. 1. Corinth. 10. *Non in pluribus eorum* (tametſi eandem potu ciboque ſpi-

ritali, vt Paulus præmiſerat, vſi eſſent) *beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt*, &c. *Noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum*: Quæ præclare noſtram concluſionem continent, vt egregiè ponderant Irenæus libro quarto, capite 46. ſub initium, & Chryſoſtomus Homil. 65. in Matthæo ſub med. his verbis. *Quod* (puniendos iniquos fideles,) *Beatus Paulus à ſuperioribus oſtendit dicens, ſpiritualem potum omnes bibiſſe, & ſpiritalem cibum omnes comediſſe; nec tamen omnes ſaluos fuiſſe, ſed multos eorum in eremo procidiſſe.* Denique Iſai. 10. & ad Rom. 9. *Si fuerit numerus filiorum Iſrael, quaſi arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.*

5. Ex Nouo Teſtamento Lucæ 13. Diſcipulo ex Chriſti ſermone colligenti, rogantique. *Domine, ſi pauci ſunt, qui ſaluantur?* Ipſi, & reliquis Diſcipulis, neque vtcumque fidelibus loquens, reſponſo hoc ſuo conceſſit, & ratione ſubiuncta probauit: *Ipſe autem dixit ad illos contendite intrare per anguſtam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Ad quæ Sanctus Auguſtinus ſerm. 32. de verbis Domini ſub initio. *Confirmauit Dominus, quod audiuit: & inquiens contendite intrare, &c.* Primum verbo, *contendite*: quia vt bene Sanctus Gregorius 11. moral. capite vigeſimoſexto. *Niſi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur per quam anima ad ima reuocatur*: ex quo eadem Laurentius Iuſtinianus de contemptu mundi, capite decimoquarto. Secundò ex portæ anguſtia, quæ plures, & gregatim non capite tertio. *Quod multi quærent intrare*, vtique adulti Fideles, qui ſoli quærunt: *Et non poterunt*; eadem ferè ſimilitudine, *Arcta via, quæ ducit ad vitam, & lata quæ ducit ad perditionem*: Paucos illam ingreſſuros, eaque greſſuros Diſcipulis Dominus aiebat, ſuadebatque Matthæi 8. quæ ita expendit Sanctus Auguſtinus in tertio contra Creſconium Grammaticum capite 66. poſt medium. *Ipſi boni, verique Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt, comparatione malorum, falſorumque* (Chriſtianorum) *pauci ſunt: ſic multa grana, quibus horrea complentur pauca dicimus comparatione palearum, quæ cum granis in eodem fundo naſcuntur, & in eadem area triturantur.* Et ſanctus Hieronymus commentario ad eum locum, & epiſtola decimaquarta ad Celantiam (ni Paulini Nolenſis ſit) poſt initium. Hilarius canonico 6. in Matthæo poſt medium Nazianz. oratione trigeſimatertia, primo de Theologia columna penultima, *Arctam viam* propter ſudorem, & *quia non à multis teritur*, aiunt, ſed comparatione reproborum pauciſſimis. Tertius locus ex Matthæi 19. Marci 10. Lucæ 10. vbi ex difficultate ſalutis diuitum à Chriſto aſſerta videntur rectè intuliſſe Diſcipuli. *Quis ergo poterit ſaluus eſſe?* Quia auaritia quæ ſalutem à Deo difficilem diuitibus facit ſalutem commune etiam fidelium vitium eſt. Ierem. 6. *Omnes auaritiæ ſtudent à minimo vſque ad maximum.* Ad Philippum 2. Paulus de Chriſtianis ait. *Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt.* Chriſtus autem Diſcipulis reſpondit. *Apud homines hoc impoſſibile eſt*: valde ſcilicet rarum, & difficile, vt auaritia depoſita anguſtam vitæ portam ingrediantur: *Apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*: vt nempè paupertatis Euangelicæ ſtudio auaritiam à ſe excutiant, ſeque ſalutis homines expediant: illico autem Petrus vt ſuæ ac reliquorum ſalutis ſententiam audiret ſubiunxit. *Ecce nos reliquimus omnia*, paupertatis ſtudium, & auaritiæ omnis excuſſionem allegans, *Quid ergo erit nobis?* Æterna ſiquidem ſalus reliqua eſſe nobis videtur? nec mora: Diuinum Oraculum audiunt, quod optabant. *Amen dico vobis, &c.* quod ſi ex difficultate victoriæ paſſionis auaritiæ ſolum, tantam Chriſtus Dominus ſalutis difficultatem in omnibus hominibus, etiam fidelibus, recognoſcit, vt eàm impoſſibilitatem appellauerit: quid aliarum paſſionum communium, luxuriæ, ambitionis vehementia attenta, quibus frequenter auaritia cedit inferre de ſaluandorum adhuc Fidelium paucitate debemus?

6. Quartus locus ſit ex parabola ſeminantis bonum ſemen in agro ſuo, id eſt Verbum Dei in ſua fidelium Eccleſia Lucæ 8. cuius agri, ſeu Eccleſiæ pars ſolum quarta fructum facit bonum: Quintus ex Matthæo 3. vbi ad rem præſentem deſcribitur. *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum ſuum in horreum; paleas autem comburet igne inextinguibili.* Area autem Dei propria, & propriiſſima Eccleſia Fidelium ſuorum eſt, vt ſanctus Auguſtinus aiebat recitatus numero quinto, ex libro tertio contra Creſconium Grammaticum capite 66. & iterum libro quarto, capite 53. & ſermon. 32. de verbis Domini propè medium, vbi hæc habet. *Aream video, & grana quæro, & vix videntur grana, quando area trituratur: ſed venturum eſt, vt trituretur Pauci ergo, qui ſaluabuntur, in comparatione multorum periturorum.* Sextus locus ex illo Pauli ad Fideles, primo Corinth. nono. *Neſcitis, quod ij, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? ſic currite, vt comprehendatis*: Sitiſque excurrentium ad brauium, & præmium paucioribus. Septimus ex Matthæi 20. & 22. Multi enim ſunt vocati, pauci vero, quod de admiſſis ad menſam conuiuiumque ſpeciale Dei, nempè fidelibus Patres omnes, & interpretes intelligunt: verum, cum ex ea menſa vnus tantum eiectus ſit in tenebras exteriores, qui ſolus eſt damnatorum typus reliquis plurimis, in quibus prædeſtinati, & ſaluandi figurabantur, menſæ & conuiuio aſſidentibus relictis, pauciores reprobos eſſe, prædeſtinatos vero multo plures aduerſarij contendunt: ſed certè hoc contra infallibilitatem, ac veritatem concluſionis ex ea parabola à Chriſto deductæ directè, nec ſatis piè, & Catholicè militant: quo autem pacto concluſionis eius illatio, & veritas conſiſtat Patres ſapienter difficultati occurrentes oſtendunt: vt ſcilicet ille conuiuio eiectus non perſonam ſingularem, ſed maſſam, & collectionem reproborum ſignificet prædeſtinatorum cætu longe ampliorem, vnde rectè, ac verè concluſio deducitur. Sanctus Hieronymus commentario in 22. Matthæi in illo vno omnes: *qui ſociati ſunt in malitia*, docet contineri. Sanctus Auguſtinus capite 20. contra Donatiſtas ſub initio. *In illo ipſo vno multam, ſcilicet tem malorum eſſe intelligendam, inter quos pauciores boni conuiuio Dominico viuunt, ſignificare non distulit. Nam poſtea quam dixit ligatis manibus, &c. continuo ſubiecit: multi enim ſunt vocati, pauci vero electi: quomodo hoc verum eſt, niſi, quia in illo vno grande corpus figurabatur omnium malorum ante Domini iudicium conuiuio Domini permixtorum, à quibus ſe boni corde interim, & moribus ſeparant, ſimul manducantes, & bibentes Corpus, & ſanguinem Domini?* Eodem modo ad eum locum componit Anſelmus difficultatem. Sanctus Auguſtinus vero exemplo concurrentium ad Eccleſias hanc expoſitionem confirmat, quo etiam ad id ipſum vtuntur Origen. in 22. ex Matthæo tractatu vigeſimo, fine Athanaſ. diſceptat, *Aduerſum eos, qui in veritate iudicanda ſolius multitudinis iudicio feruntur*: circa medium, Et tandem hanc Domini ſententiam ita de fidelibus ſolum prædeſtinatis, & reprobis intelligi debere cenſet, vt deceptos aſſerat, qui ad infideles extendi putauerint, de prædeſtinatione, & gratia, capite vndecimo, ab initio, & de vera, & falſa pœnitentia capite ſexto.

7. A ratione vero probatur primo, ea quam ex indignitate, & indebito naturæ lapſæ dedimus numero ſecundo à medio, & numero ſecundo toto, quæ reſpectu fidelium adultorum, etiam qui originale per Baptiſmum eluerint, locum habet, cum certum ſit eis prædeſtinationem non deberi, ſed indebitam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

indebitam eſſe: immò, & debitum obiectiuum carendi illa poſt abolitum originale ex tempore quod anteceſſit, ac in eis fuit, in ipſis etiam iuſtificatis perſtare. Probatur ſecundo ratione, quæ tacta etiam à Sancto Thoma ibidem fuit, ac pro concluſione prima non minori robore certat: quia natura corrupta hominum omnium, etiam iuſtificatorum in malum propenſior valde eſt, aliundéque ſenſibilium viuidioribus longè cognitionibus ad ea ſectanda ſolicitatur, ac præuenitur quam ſint à ſenſibilibus, turpibuſque abducentes, atque ad honeſta inducentes abſtractiuæ pro ſtatu viæ cognitiones, nimirum à ſenſibilibus neceſſario emendicatæ, ac ſubinde motionis ſegnioris: quare gratia, etiam vberè ex meritis Chriſti à ſenſibilibus illicitis ad ſpiritualia, & honeſta fideles etiam homines ſudoris laboriſque ingentis vbique gentium, & legum negotium fuit: de populi Hebraïci ſceleribus Oſeaſ. capite quarto aiebat. *Sanguis ſanguinem tetigit*: & Dauid. *Non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Nec aliter de Chriſtiani populi moribus ſentire Patres, atque oculi etiam (proh dolor!) noſtri patiuntur. At, inquis, ita ſane eſt: in ſceleribus hominum, Chriſtianorum etiam vita plerumque tranſigitur, vt de vitiorum Pelago emergentibus dici illud Poëtæ debeat. *Apparent rari nantes in gurgite vaſto*: ſitque illud Senecæ proloquium etiam de Chriſtianis verum. *Argumentum peſſimi turba eſt*: Sed tamen cum in Chriſtiana Eccleſia præſto adeo faciliſque ſacramentalis pœnitentiæ adſit, qua inſtantis ſibi mortis temporalis (& æternæ, ni reſipiſcant) conſcij peccatores fideles iuſtificentur, atque in Dei gratia, & amicitia decedant, pleroſque eorum, quantumvis inueteratos peccatores malorum dierum vitam in iuſtitia claudere credendum piè à nobis eſt. Cæterum quot ex Chriſtianis Fidelibus mortis ſuæ poſtremi periculi immemores, ac prorſus ignari, naufragiis, incendiis ſubitis erumpentibus ex montibus flammis, atque ad milliaria plura cineribus terræ hiatibus prouincialibus, ædificiorum, vrbiumque ruinis extemporaneis, quas terræmotus, & aëris tempeſtates frequenter efficiunt: quot etiam ex inimicorum inſidiis, hoſtium, inuaſionibus repentinis, belluarum immanium inſultibus, graſſatorum incurſibus, aëris, aut morborum contagiis celerrimis, atque præliis etiam abſque Sacramentorum beneficio, & memoria decedunt?

8. De Fidelibus autem, qui vitio plerumque (vt aduerſarij fatentur, & vident,) enutriti cum Sacramentis moriuntur: quot precor ex eis mortem, & periculum: ſubinde æternæ damnationis ſibi inſtare credunt? nihil ſcilicet omittente, omniaque mouente Diabolo, qui ad eorum peragendum interitum modicum tempus ſupereſſe optime nouit, vt ab ea cogitatione ipſorum animos diuertat atque vitæ diuturnitatem, vlterioremque pœnitentiæ locum ipſis adfuturum ſuadeat: iuuantibus amicis ſæculi huius, atque in veterato periclitantium inueterato præſentis vitæ amore, contra quem non ſine dolore ingente inſtare ſibi chariſſimæ vitæ finem credere poſſunt, & nolunt: ſed credant tandem, quot quantáque ſceleribus inueteratos à vera pœnitentia diuertunt? Dolores, diſpoſitionis temporalium, & eorum quæ chariſſimis filiis, &c. poſtea euenient prouidendorum, anxia etiam ac vehemens cura: immò quot, quantaque eos tunc in deſperationem agunt diuinæ Miſericordiæ, quam tot tantiſque ſceleribus vltra condignitatem demeritam, & à ſe abactam recognoſcunt? Ecqua demum veræ pœnitentiæ finalis illorum prudens, & cordata æſtimatio eſſe nobis poteſt vt pleroſque ex illis contingere credamus, qui tunc ſolum, & fere primum vitia deſerunt, cum à vitiis deſeruntur? id quod rectè ad rem hanc ponderant ſanctus Auguſtinus de vera, & falſa pœnitentia capite decimo ſeptimo, Homilia 42. poſt medium ex libro Homiliarum 50. Cæſar. Arelatenſ. tomo ſecundo Biblioth. homil. 43. & 44. decretum canonicum de pænitentia diſtinctione ſeptima alias cauſa 33. quæſtione tertia, Cyprianus libro quarto, epiſtola ſecunda ad Antonianum poſt medium Iſidorus 2. ſententiar. de ſummo bono, Hugo Victor. 2. de Sacrament. parte 14. capite quinto circa medium. Laurentius Iuſtinianus de contemptu mundi ſub mundi fine. Deinde: cum vera pænitenti, niſi ex gratia Dei ſpecialiſſima, & efficaci haberi ab homine nequeat, Dei inquam, quem tota, vel ferè tota vita ſua tales iſti fideles infenſiſſimum inimicum tanto merito habuerunt, neſcio qua probabilitate eorum cuiq; tanto gratiæ ſuæ dono tunc adfuturus iudicetur: tametſi in ſuæ bonitatis, & clementiæ oſtenſionem, ac miſericordiæ exemplum vni vel alteri ipſorum tunc donet. Hanc etiam rationem pro noſtra concluſione expendunt Cyprianus, & Laurentius Iuſtinianus vbi proximè, Sanctus Auguſtinus ſermone 10. de Sanctis prope med.

9. Inquiunt tamen aduerſarij, ita de anteactis temporibus fuerit: ita vero poſtremis ſæculis fore temerè iudicabimus: ſiquidem quid in illis futurum ſit ignoramus. Contra vero: quia in iis quæ ex naturæ corruptæ vitioſa inclinatione, viuidiorique, & efficaciore ſenſibilium, quam ſpiritualium motione (quæ totis, ac proinde poſtremis vitæ huius, & mundi ſæculis perſiſtent facta hucvſque experimur non aliter poſtea facienda non ſolum probabiliter poſſumus, ſed prudenter debemus iudicare: vide quæſo bella, & ſeditiones toto orbe ſub mundi finem futuras à Chriſto Domino prædictas, & cum ex Iacobi 4. ea, *Ex concupiſcentiis noſtris, quæ militant in membris noſtris*, naſci ſolummodo credas: concupiſcentiarum humanarum vt homines in peccata impellant vires quo loco, & gradu futuræ ſæculis poſterioribus ſint facile dignoſces: vide breuiandos dies poſtremos ne electi ſi fieri poteſt, à ſalute decidant: vt ſcias quantum futurum ſit poſtremo ſæculo robur. Ac tandem ſi ſæculis Paſſioni Chriſti proximioribus, & illo ipſo, quo ſanguis Chriſti recens pro hominibus effuſus, ac feruens Dei miſericordias, & gratis hominibus exhalabat, & fidelium cor vnum, & anima vna proinde fuit, ita ex Chriſtianis, & fidelibus plures vixerunt obieruntque, vt non tenuis: vnde frugi melioris diſtantioribus, imò diſtantiſſimis à Chriſti Paſſione ſæculis futuros fideles non dicam iudicas, ſed ſuſpicaris. Rem hanc concludat Hieronymus morti vicinus, qui (teſte Euſebio epiſtola ad Damaſum tom. 2. operum Hieronymi) aiebat: vix vnum ex centum millibus perditæ vitæ hominum, verè in mortis articulo pænitere. Nolo autem concludere verbis Chryſoſtomi homil. 40. ad popul. Antioch. verſus med. & 34. ad Hebr. col. 2. & 3. & homil. 3. in acta: quia ſententiæ dolorem, & horrorem calamus etiam ferre non poteſt.

10. Rogas denique curioſius: vter ſextus, virorum, an mulierum num. prædeſtinatorum alteri præualeat? Alexander 2. parte, quæſt. 95. verſ. finem. Scotus in 2. d. 20. quæſt 2 fin. vbi Gabriël articulo 3. dub. 1. quæſtionem definire noluere. Marſilius ibi q. 13. dub. 4. & S. Thomas quodlib. 3. q. 11. art. 25. cenſent vtriuſque ſexus numerum prædeſtinatorum æqualem: quia iidem prædeſtinati ſunt, qui in ſtatu innocentiæ prædeſtinarentur, ſi perduraſſet: in eo vero ſtatu par prædeſtinatorum numerus in vtroque ſexu eſſet; quia par in eo virorum, ac mulierum foret numerus, & omnes in eo ſtatu prædeſtinarentur: ſed diſcurſus hic Marſilij plura non ſatis explorata, & fortè falſa ſupponit. Primum eoſdem nunc in ſtatu naturæ corruptæ prædeſtinatos eſſe, qui in ſtatu innocentiæ prædeſtinarentur, quod probatione multa opus habet, & neſcio an habere poſſit ſufficientem. Secundum non eſſe nunc prædeſtinatos plures, quam tunc forent. Tertium æqualem tunc fore numerum virorum, ac mulierum, quæ ſomnio ſimilis diuinatio eſt: cum tunc etiam prolificum ſemen inæqualiter diſpoſitum pro occaſionum, & temporum, & hominum diuerſitate eſſet futurum, alioqui vel omnes mares, vel omnes fæminæ procrearentur:

quod

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quod & æqualitati numeri vtriuſque ſexus aſſertæ, & hominum obeſſet propagationi: vnde item norunt totidem, non dico eoſdem quos in illo ſtatu, prædeſtinatos in natura lapſa eſſe non plures, oppoſitum enim fortaſe probabilius eſt ſed de his omnibus fuſiori calamo, maiorique fundamento diſputare, nedum definire oportebit de ſtatu innocentiæ diſputantes.

11. Ruiz noſter citata d. ſectione 6. plures prædeſtinatos mulierum, quam virorum ſexui. Primo quia multo plures mulieres, quam homines ſunt, multoque pauciores hominibus abſque Sacramentis bello rixis, itineribus, fluminibus, præruptis, latronum incurſibus, naufragiiſque repente, & inopinato decedunt: cum autem dociliores, faciliores, genio, & cordemolliores ſint, atque ad pietatem procliuiores, & timidiores, & metu gehennæ, quam ex fide credunt, & iuuantium adhortationibus plerumque ad veram pænitentiam ſacramentalem flecti credendum prudenter eſt: potius quam de viris perditis, qui mortis inſtantis conſcij, & Sacramentorum participes decedunt. Accedit fæminas vt plurimum ex ignorantia, & fragilitate maiore, quam viros peccare, quare & veniabilius, quam homines æquè peccantes delinquunt: Denique, cum fæminæ in omnia pietatis opera, orationem, religioſum cultum, eleemoſynam, conciones, Sacramentorum pænitentiæ, & Euchariſtiæ vſum frequentem, ieiunia, &c. ſint propenſiores, & minus hominibus peccant, & frequentius à peccato reſipiſcunt: cumque parentum, maritorum, & conſanguineorum conſiliis, & pædagogiæ obedientiores ſint, multo paucioribus peccandi occaſionibus ſunt expoſitæ, & frequentius illis pietatis operibus, quæ ex Dei gratia malæ etiam vitæ interſerunt, congruum bonitati Dei motiuum exhibent, vt ea ad pænitentiam veram finalem adducat: maxime durorum plerumque maritorum continuum; vt ſic dicam, martyrium perpeſſæ. Hæc fere Ruiz cui ego conſentio: id tamen cum eodem authore viris vtpotè naturæ perfectioris lubens dabo: plures ex illis ad altiorem virtutis & perfectionis gloriæque gradum, quam ex mulieribus eſſe à Deo prædeſtinatos.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN